



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Liber Quintus Decretalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

LIBER QUINTUS
Decretalium.

Prooemium & Dispositio
Libri.

A Judicio Ecclesiæ Civili ad criminale trans-
simus, explicaturi qualiter delinquentes
secundum Canones sint puniendi; quod
ut clarius, fiat, hanc subjicimus cohæren-
tiam materiarum.

Tria potissimum in hoc libro quinto explican-
da occurrunt.

Primo modi, quibus in Judicio contra delin-
quentes proceditur, quorum sunt tres, videl. accu-
satio, inquisitio, & denunciatio, quos explicat *Titu-
lus 1.* Institui autem debent hi tres modi amore
justitiæ, non ex calumniâ, quam prohibet. *Tit. 2.*

Secundo, crimina in Judicium deducenda & pu-
nienda, quorum aliqua lædunt immediatè Deum ut
potè religioni adversantis. videl. simonia, *Tit. 3.*
Quam sapit concessio jurisdictionis Ecclesiasticæ
suo censu annuo. *Tit. 4.* Et acceptio pecun.æ pro
licentia docendi. *Tit. 5.* Infidelitas, quam repro-
bat.

bat. *Tit. 6. de Juda. & Saracen.* Hæresis quam de-
 mnat. *Tit. 7. Schisma. Tit. 8. Apostasia. Tit. 9.*
 Alia immediatè lædunt charitatem proximi. videl.
 occisio propriæ prolis. *Tit. 10. Eorum expositio.*
Tit. 11. Homicidium Voluntarium. Tit. 12. Ad
 quod præcaveandum, prohibentur torgeamenta. *Tit.*
13. Duella. Tit. 14. Ars sagittariorum & ballistario-
rum. Tit. 15. Similiter charitatem proximi destru-
unt adulteria & supra. Tit. 16. Raptus & Incendia.
Tit. 17. Furta. Tit. 18. Ufuræ. Tit. 19. Crimen
falsi. Tit. 20. Sortilegia. Tit. 21. Collusio. Tit. 22.
 Quorum delictorum malitia decrevit in pueris ob
 defectum perfectæ rationis & iudicii. *tit. 23. Alia*
 specialiter dedecent statum Clericalem, veluti ve-
 natio. *tit. 24. Percussio. tit. 25. Omnium autem*
 delictorum maximum est maledictum. *tit. 26.*

Quædam delicta Specialiter detestatur Ecclesia
 ut si quis censurâ innodatus sacra peregerit. *tit. 27.*
 aut non ordinatus ministraverit. *tit. 28. Vel ordi-*
 nes per saltum susceperit. *tit. 29. Vel furtivè ordi-*
 natus fuerit. *tit. 30. Aut in Officio suo quomodo-*
 cunque excesserit. *tit. 31.*

Speciale delictum est in alieno fundo, aut in
 damnum aliorum ædificare quod prohibet. *tit. 32.*
denovi. oper. nunt. & privilegio sibi concesso abuti.
tit. 33. Ab his delictis & pœnis eorum immuni erit,
 qui innocentiam suam super objecto sibi crimine
 demonstraverit, quod fit per purgationes Canoni-
 cas. *tit. 34. Non vulgares. tit. 35. factâ autem inno-*
 centiæ demonstratione actio injuriarum competit
 innocenti, *tit. 36.*

Tertio,

Tertio, consideratur pœna, de qua generaliter agit. tit. 37. Ad quam refertur pœnitentia. tit. 38. Maxima autem pœnæ ab Ecclesiâ infligi solitæ, sunt censura, videl. excommunicatio suspensio & interdictum, quas explicat. tit. 39. Et ultimus hujus libri; Reliqui enim duo ob diversissimas quas continent materias, in scholis prælegi non solent.

TITULUS I.

De

Accusationibus, Inquisitionibus & Denuntiationibus.

QUÆRES I. Quid sit Accusatio? Respond. Accusatio est criminis alicujus determinati hominis apud competentem Judicem, interveniente inscriptione in ordine ad vindictam publicam legitime facta denunciatio dicitur: 1. *Criminis*; in delictis enim privatis locum non habet accusatio, sed actio civilis, cum non agatur ad vindictam publicam, sed utilitatem privatam. Dicitur 2. *determinati hominis*, is enim qui delinquentem non scit, sed tantum crimen factum esse sine nominatione personæ simpliciter denunciat, accusare non dicitur, cum finis judicii criminis obtineri nequeat, qui est punitio criminosi. Dicitur 3. *Interveniente inscriptione*, is enim qui accusat, obligare se debet in scriptis ad eam pœnam, quam crimen meretur de quo accusat, subeundam in probatione deficiat; quam

G. s.

in scri-

infectionem non exigit denuntiatio nec inquitio. Dicitur 4. *Ad vindictam publicam*; in hunc enim finem Judicia criminalia instituta sunt, ut publice satisfiat justitiæ, sicut e contra civilia idcirco ordinata, ut privati, quorum jus læsum est, suam consequantur satisfactionem. quod ut intelligas

Not. 1. Quod delicta quæ in Judicium deducuntur, vel lædunt directè & principaliter Ius privati hominis, ita tamen ut per consequentiam repugnent etiam utilitati reipublice ejus interest, non habere facinorosos cives; vel directè & principaliter opponuntur salutis & tranquillitati reipublice; priora delicta vocantur privata, qualia de Iure Civili scripto sunt furtum, rapina, injuria, dolus &c. pariuntque actionem ad pœnam civilem, vel ipsi privato læso, vel reipublice, quæ etiam quodammodo læsa est pro arbitrio actoris applicanda, si sibi ipsi pœnam peccerit applicari, dicitur agere civiliter; si fisco, dicitur agere criminaliter; posteriora autem delicta propriè vocantur crimina, & sunt objecta judiciorum publicorum sive criminalium: hæc autem crimina duplici sunt; *capitalia* videlicet *non capitalia*; capitalia dicuntur, quæ merentur pœnam mortis vel naturalis per gladium, laqueum, ignem, rotam, &c. vel civilis per interdictionem aqua & igne, deportationem damnationem ad metalla, ut sit in crimine læsæ Majestatis, parricidii, adulterii, vi publicæ, & hodiernis mortis, furto & rapina. Non capitalia vocantur, quæ mitiorem pœnam merentur, v. gr. pœnam relegationis, fustigationis, vel pecuniariam; item delicta alia sunt *ordinaria* quibus certa pœna à Iure statuta est ut crimini læsæ

Maje-

Majestatis, ultimum supplicium, cum damnatione memorizæ post mortem; adulteris pœnam gladii, &c. Alia sunt *extraordinaria* quæ certam pœnam in jure statutam non habent, sed pro Iudicis arbitrio pœna dictanda erit, ut sunt prævaricatio abigeatus, effractio, quæ omnia procedunt de jure civili; de Iure enim Canonico licet dentur iudicia, divisio tamen criminum in capitalia & non capitalia locum non habet, cum à Iudice Ecclesiastico pœna sanguinis infligi non possit; æquiparantur tamen criminibus capitalibus excommunicatio, depositio, suspensio, servitus, privatio privilegiorum Clericalium, traditio curiæ seculari. his notatis.

QUÆRES 2. Quinam accusare possint?

Respond. Omnes qui non prohibentur. *l. 80. ff. b. t.* Jure autem prohibentur ob defectum ætatis pupilli; ob sexûs fragilitatem & verecundiam fœminæ; criminosi infames, & excommunicati *can. infames caus. 6. q. 1.* Ob quæstus suspicionem pauperes, quos bonæ Conversationis esse non constat. Ob reverentiam liberi respectu parentum, & liberti respectu patronorum, vasalli & servi respectu dominorum. Ob odium inimicus intellige capitalis, vel alias valdè intensus. *cap. 7. b. t.* Pagani, Iudæi, hæretici respectu Catholicorum. *can. pagani. caus. 2. q. 7.* & Clerici ab accusando repelluntur, tum præcipue, quando crimen capitale, & pœna sanguinis delinquenti infligenda foret.

QUÆRES 3. Quid sit denuntiatio & quod duplex? Respond. Denuntiatio est delatio criminis ad Iudicem, hæc Triplex est, Civilis sive Judicialis.

diciales, Evangelica, & Canonica: Civilis à legibus et
introduceta, & fit per ministros publicos, ad hoc ad-
sumptos, ut commissa delicta denuntient Magistratui,
& prodant delinquentes, l. 7. § 14. Cod. de ac-
cus. ad publicam scilicet vindictam, unde & publica
vocatur, quæ enim ob privatum interesse fit, privata
dicitur. Denuntiatio Evangelica est, quæ ex lege E-
vangelicâ Matth. 18. § Luc. 17. Introduceta est, & fit
solum in ordine ad corrigendum reum, ubi ordo a
lege præscriptus observari debet, ut delinquens in-
primis corripiatur privatim, dein si ad hanc corre-
ptionem se non emendaverit, denuò moneatur, ad-
hibito uno vel etiam duobus testibus, & tum demum
si in delicto impoenitens perseveraverit, Ecclesia
denuntietur. Ex quo patet, quod denuntiationem
necessariò præcedat bina monitio Denuntiatio
Canonica, de qua hic potissimum agimus est *criminis*
alicujus apud judicem sine inscriptione legitimè facta delat-
io ad emendationem rei; differt ab accusatione, pri-
mò, quoad modum instituendi, ad accusationem
enim requiritur inscriptio, non ad denuntiationem;
Secundò, quoad finem, qui in accusatione est vin-
dicta publica, in denuntiatione autem correctio
& emendatio vitæ.

QUÆRES 4. Quid sit Inquisitio & quotu-
plex? Respond. Inquisitio est criminis alicujus
per Judicem legitimè facta indagatio, quæ ideò in-
venta est, ne defectu accusatorum vel denuntiato-
rum delicta manerent Impunita. Inquisitio est
triplex: prima dicitur generalis simpliciter tam-
quoad personas quàm delicta, ut si Iudex inquiret;
an in comunitate suâ habeat homines facinorosos.

l. con-

l. congruit, ff. de off. pres. Secunda vocatur specialis simpliciter, quoad personas & delicta; ut cum de certo & limitato delicto contra certam personam fit inquisitio. *l. ea quidem Cod. de accusat.* Tertia dicitur generalis specialis quando inquiritur vel in certum crimen commissum, certâ tamen personâ non nominatâ; vel in certam personam, certo crimine non expresso.

QUÆRES 5. An inter dictas inquisitionis species sit differentia? Respond. Esse notabilem differentiam: specialem enim qua contra certam personam inquiritur, præcedere debet fama publica *cap. 18. § 24 b.t.* cum per eam reddatur suspectus, & famæ detrimentum patiatur contra quem inquisitio instituitur; quod ad inquisitionem generalem licet super certo crimine fiat, non requiritur, cum ex unâ arte nemini fiat injuria, ex alterâ autem facinoroso summo cum præjudicio & damno reipublicæ spe immunitatis ad delinquendum invitarentur, si viderent in notorii criminis auctores non inquiri. Sunt tamen & aliqui casus, quibus inquisitio specialis contra certam personam etiam non præcedente infamiâ aut famâ publicâ permittitur. Velut 1. Si contra personam adsint aliqua indicia patrati criminis, vel vehemens suspicio, aut fortis præsumptio, qualis est, v. gr. contra servos ædium in quibus occisus reperitur Dominus, & auctor ignoratur. 2. Si crimen directè cedat in præjudicium Reipublicæ. 3. Si per inquisitionem non intendatur pœna sed sola delinquentis correctio.

QUÆ

QUÆRES 6. An diffamatus vel convictus de uno crimine, de alio possit interrogari? Respond. Duobus casibus potest. Videl. 1. Si unum crimen præbeat indicium alterius; si convictus de adulterio in loco ubi maritus adulteræ occisus est, commissio, etiam super homicidio poterit examinari & si unum crimen sit circumstantia alterius; si convictus de furto etiam super effractione fori rectè interrogatur.

TITULUS II.

De

Calumniatoribus.

QUÆRES 1. Quis am calumniari dicatur? Respond. Il qui innocentem de crimine falso accusant. Non quemadmodum Reipublicæ interest delicta manifestari & delinquentes in terrorem aliorum debite puniri, sic ejusdem nominis interest fontes falso & calumniose non accusari, cum sit res gravissima famam vitamque hominis concernens.

QUÆRES 2. Quot modis accusatores vel denuntiatores in judicio delinquant? Respond. Eos tribus potissimum modis delinquere, scilicet calumniando, prævaricando, & tergiversando. Calumniari dicitur qui falsa crimina, scienter & dolo malo intendit, prout facere præsumitur, qui in delati criminis probatione deficit. quæ tamen præsumptio non est juris & de jure, ideoque improbatio.

batione deficiens calumniam purgabit, si probave-
 rit se non dolose accusationem instituisse, sed vel
 per fraudem testium, vel alio modo sine suâ culpâ
 ad deferendum crimen inductum fuisse; quod si
 autem de Calumniâ convictus fuerit, pœnam talio-
 nis exsolvet, id est, eandem pœnam subibit, quam
 crimen delatum meruit. moribus tamen hodiernis
 calumniator non talionis sed arbitrariâ pœnâ puni-
 tur. Prævaricantur, qui vera crimina abscondunt,
 & celant, vel cum accusato aut denunciato collu-
 dunt, veras probationes dissimulando, falsas exce-
 ptiones admittendo *l. 1 ff. ad Senatus consult. Tertul.*
 & hi quoque pœnam arbitrariam sustinent. *l. 1. § 2.*
ff. de prævaricat. Tergiversantur qui ab accusatio-
 ne jam concepta desistunt. *l. 1 ff. ad Senatus cons. Ju-*
risprud. Quod facere non licet; qui fecerint, de
 Jure Civili 5. libras auri solvunt, de jure autem
 Canonico, pœnæ arbitrariæ subjacent.

TITULUS III.

De

Simoniâ & ne aliquid pro spirituali-
 bus exigatur vel promit-
 tatur.

QUÆRES I. Quid sit simonia & quotuplex?
 Respond Simonia a Simone Mago qui *Act. 8.*
 Spiritum Sanctum pecuniâ comparare vole-
 bat, sic dicta, est *studiosa voluntas emendi aut vendendi*
prelio temporalis aliquid spirituale, vel spirituali anne-

XIII;

num; in hoc enim malitia simoniæ consistit, quæ
 quis rem spiritualem, adeoque aliquo modo super
 naturalem, & ad salutem animæ ordinatam non al
 ter ac rem profanam in contractum deducere & ne
 gotiari velit, dividitur simonia primo in eam quæ est
 juris divini, & eam quæ est juris tantum Ecclesiastici.
 Juris divini simonia dicitur, si, quod spirituale a deo
 què supernaturale est, pretio vendatur, ut sunt gratiæ
 sanctificans gratiæ gratis datæ, Sacramenta, calix
 consecratus propter consecrationem, Jurisdic
 tionem vel officium vel beneficium Ecclesiasticum. Juris Ec
 clesiastici simonia vocatur, si vel spirituale cum
 spirituali v. gr. beneficium cum beneficio, propriâ
 auctoritate commutatur, vel temporale pro tem
 porali conceditur, prout fit, quando officia ad ad
 ministrationem, defensionem, vel custodiam Eccle
 siæ ordinata, pecuniâ comparantur. *cap. 28. b. t.*
can. si quis Episcopus. caus. 11. q. 1. & can. salvator caus. 1. q.
3. Secundo dividitur in *mentalem, conventionalem*
realem; mentalis est, non quæ in solâ mente seu pro
 posito interno simoniam committendi consistit, sed
 quâ res spiritualis in compensationem temporalis
 vel e contra conceditur, sine ullo pacto externo ani
 mo tamen simoniaco, id est spirituale pro tempo
 rali vel e contra accipiendi. Conventio est
 si spirituale detur pro temporali interveniente pa
 cto tacito vel expresso, quod contingit duobus mo
 dis, 1. Si partes inceperint pacisci nondum au
 tem perfecerint pactum, nec ad traditionem
 temporalis & spiritualis progressi fuerint, quæ pure
 conventionalis dicitur. 2. Si unus dederit preti
 um alter autem nondum tradiderit rem spiritualem
 quæ

quæ mixta vocatur, cum de reali & conventionali aliquid participet; Cui annumerantur simonia confidentialis, quâ quis paciscitur cum eo, cui beneficium confert vel procurat, eligendo, præsentando, resignando, vel recommendando, ut accepturus beneficium illud ipsum procuranti vel alteri cum tempore resignet, aut certam pensionem ex fructibus beneficii solvat, quam damnat *Bulla Pii IV.* quæ incipit *Romanum* & *Bulla Pii V.* quæ incipit *intolerabilis*. Simonia realis est si pactio ex utraque parte perfecta & completa fuerit, inchoative saltem, ut si collatio beneficii sit facta, & pars pretii soluta.

QUÆRES 2. Quid requiratur ad simoniam? Respond. Triapottissimum requiri. 1. Res spiritualis seu spirituali annexa; 2. merces sive pretium temporale. & 3. pactum sive contractus, desuper initus. Res spirituales vel sunt tales secundum essentiam, ut gratia sanctificans, consecratio, &c. quæ pretio humano comparari nequeunt. vel sunt spirituales secundum causam, ut Sacramenta, missæ sacrificium. vel denique sunt tales secundum effectum, uti operationes, quæ alicui spirituali & supernaturali dono conveniunt, ut administrare Sacramenta, dispensare, commutare vota & similia. Res spiritualibus annexæ sunt, quæ cum illis connexionem quandam habent, idque vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter. Antecedenter connexionem cum spiritualibus habent, quæ tanquam prævia & præsupposita ad spiritualia à Christo instituta ordinantur, cujusmodi sunt, vasa sacra, vestes, Calices, consecratio, benedictio templi, & similia quæ ad sacrificium missæ

H h

rese.

referuntur, quibus annumeratur jus patronatus, & jus sepulturæ. concomitanter connexus est labor & actio omnis in functionibus spiritualibus, & ministerio Sacramentorum consistens. Consequenter connecluntur quæ à spiritualibus dependent, & considerantur ut effectus ratione causæ, qualia sunt beneficia Ecclesiastica, supponunt enim divinum officium propter quod dantur. pretium simoniacum est non tantum pecunia, sed quæcunque res temporalis pretio æstimabilis & afferens utilitatem temporalem, quo sensu acceptum pretium triplex est, videl. munus à manu, munus ab obsequio & munus à lingua; *can. ordinationes, & can. sum nonnullæ c. 4. q. 1.* Munus à manu dicitur omnes res temporalis mobilis vel immobilis, ut sunt Jura, actiones, census, mutuatio pecuniæ, remissio debiti, dilatio solutionis, &c. Munus ab obsequio sunt quæcunque obsequia temporalia, servitium, famulatus, administratio rerum, negotii gestio et pacto facta; per munus à lingua veniunt recommendationes, intercessiones, sub obligatione conferendi sibi beneficii, apud Principem interpositæ. *Pyrrh. h. t. n. 123*

Nomine pacti simoniaci non venit tantum emptio venditio, sed quivis contractus onerosus qualis etiam est permutatio, locatio, contractus in nominati, & omnis pactio expressa & tacita, quæ spirituale pro temporali tanquam pretio datur vel promittitur, ex quo colligitur, per donationem merè gratuitam non committi simoniam.

QUÆRES 3. quænam sint pœnæ in simoniacos à iure statutæ? Respond. Cum simonia gravissimum sit peccatum, utpote religioni repugnans

nans & species quædam sacrilegii, gravissimis quoque pœnis profliganda erat; pro mentali utpote quæ in foro interno per pœnitentiam satis expiatur, nulla in jure pœna reperitur, *c. fin. h. t.* uti nec pro conventionali solâ, quod contra Rigorem Juris antiqui desumitur ex *extravag. cum detestabile 2. b. t.* quæ pœnas in eos tantum statuit, qui conventionem factâ, quomodolibet dando vel accipiendo simoniam commiserunt, ex cujus extravagentis dispositione manifestum est, ad incurrendas simoniæ pœnas requiri actum completum, potissimum cum pœnæ sint restringendæ. Sola igitur simonia realis & confidentialis pœnas juris ipso facto inducit, & quidem in triplici tantum casu, vid. l. ingressu religionis, collatione beneficiorum, & ordinum. Si igitur pro ingressu religionis vel receptione alicujus in Monachum quidquam receptum vel exactum fuerit, tam dantes quam accipientes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & conventus in simonia consistens, ab officio capitulari suspenditur. *cap. 40. Extravag. 1. h. t.* quam etiam incurrunt, qui pro pecuniâ ordines conferunt, vel ab iis quos pro suscipiendis ordinibus Episcopo præsentant, vel recommendant, pretium accipiunt *extravag. 2. b. t.* Committentes verò simoniam in beneficiis utrinque completam, vel saltem inchoatam, similiter sunt excommunicati, & extra articulum mortis ab ipso tantum Pontifice absolvendi, *cit. extravag. 2.* & provisio de beneficio facta est ipso jure nulla, si que impetrans inhabilis ad beneficium simoniacè obtentum. De quibus & aliis simoniæ effectibus fusius tractat. *Pyrh. b. t.* Has pœnas simoniacis toties diçatas, laxa multorum ridet conscientia,

qui censurarum fulmina in simoniacos vibrata, pro somniis habent, & iram Pontificum tot Canonibus repetitam jocum existimant, dum beneficia venalia circumferunt, allegatis variis pretextibus labem excusant, & simonem pallio tegunt, vel ideo maximæ stultitiæ & malitiæ arguendi, quod Deum omniscium corda & renes scrutantem fallere intendant, quem ultorem & severissimum Iudicem sentient, dum finita mortali vitâ ejus se conspectui recipiendo actuum suorum merito vel demerito cum tremore sistere debebunt.

OBJICIES. Universalis consuetudo præsertim in Germaniâ obtinuit, ut ab ingredientibus religionem exigatur certa pecunia loco dotis, quæ consuetudo approbatur in *cap. fin. de renunt. § cap. in present. de probat.* Ergo recipientes malè dicuntur excommunicati. Respond. Est consuetudo, sed pessima, quam in *cap. 25. 28. 30. § 40. b. t.* damnatam reperies. eamque reprobant. *Concil. Francofordiense can. 16. Concil. Melfitanum. can. 7. Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. § de regularibus. cap. 16.* Non suffragantur allegata capitula, loquuntur enim de iis, qui dum religionem ingrederentur, voluntariè non autem pactione præviâ bona sua secum deferebant.



TITULUS IIII.

Ne Prælati vices suas vel Ecclesias
sub annuo censu concedant.

QUÆRES. An Prælati vices Ecclesiarum sibi commissarum, id est, Iurisdictionem Ecclesiasticam sibi competentem pro annuâ pensione aliis concedere possint? Respond. Negat. Prout expressè decisum est in *c. 2. § 3. b. t.* & in *Trid. sess. 5. cap. 1. de reform.* Ratio est, quia administratio Ecclesiæ est potestas spiritualis uti etiam Iurisdictione prælatorum, quæ in causarum Ecclesiasticarum decisione, beneficiorum collatione & similibus exercetur, ideòque illarum venditio vel locatio labem continet simoniæ *cap. 2. § 3. b. t.* & *can. Salvator. cum can. seq. caus. 1. q. 3.*

OBJICIES 1. Licitum est pro annuâ pensione Iurisdictionem sibi competentem remittere; *cap. constitutus de dom. relig.* ubi Episcopus Iurisdictionem super certo Monasterio sibi competentem pro annuâ pensione remittit; Ergò etiam poterit tali pensione de novo cecedi, consequentia probatur ex *cap. veniens de testibus. cap. quevelam de simonia* & demum ex ipsâ ratione, quæ suadere videtur, paria esse quoad labem simoniæ remittere & dare; Ergò si remittere liceat, etiam dare licebit; aut si concessio simoniaca fuerit, etiam remissio talis erit. Respond. Neg. anteced. quia *cap. constitutus* citato annua pensio non tanquam pretium remissæ Iurisdictionis soluta, sed solum ad probationem antiquæ subiectio-

nis, & concessæ exemptionis signum reservata fuit, ut inquit gloss. in *cit. cap. verbo Rescompensationem*, quod ipsum docet *Gonsal. in cap. 3. b.t. num. 6.* Ad probationem Respond. Paria esse quoad labem simoniæ, remittere pro re spirituali debitum, vel dare certam pecuniam, de hac enim remissione loquuntur allegata capitula non de remissione jurisdictionis.

OBJICIES. 2. Licet Ecclesiam pro annuo censu alteri locare; *cap. fin. b.t.* Ergo malè dicitur talem Concessionem esse simoniacam. Resp. Neg. antec. citato enim *cap. finali.* non agitur de locatione ipsius Ecclesiæ vel beneficii, sed fructuum tantum & proventuum, quos locari posse dubium non est. *cap. 2. de locat. conductio.*

OBJICIES 3. Romæ Clerici camerales & auditor camerae emunt sua officia, quibus nihilominus annexa est Jurisdictio Ecclesiastica, ergo vel malè egit Pontifex, hæc officia vendendo, vel eorum venditio non erit simoniaca. Resp. Officia hæc non venduntur, sed redditus annuatim percipiendi, quod à Pontifice ex plenitudine potestatis fieri posse nemo negabit.

TITVLVS V.

De

Magistris & ne detur aliquid pro
licentiâ docendi.

QUÆRES. Quinam *b.t.* dicantur magistri? Respond. Nomine Magistrorum hic veniunt omnes qui in aliqua scientia summum gradum.

dum obtinent, & litteras docent, aut disciplinam aliquam profitentur, quales propriè sunt artium liberalium, Theologiæ & Canonum Professores, tria autem potissimum præsentè titulo statuuntur.

Primo, Ut in quavis Ecclesia non Cathedrali tantum sed & Collegiatâ, si ejus facultates id permittant, constituatur Magister, qui Clericos illius Ecclesiæ & alios saltem in grammaticâ gratis instruat; in Metropolitanâ autem præter magistrum grammatices Magister Theologiæ assumatur, qui sacram Scripturam doceat, & rudiores informet, assignatis unius præbendæ proventibus, ut congruam habeant sustentationem.

Secundo, Magistris Theologiam vel Ius Canonicum extra Ecclesiam suam profitentibus, quàm diu sunt in munere professoris, conceditur privilegium integros beneficiorum suorum fructus percipiendi *cap. fin. b. t. & Trid. sess. 5. c. 1. de reform.* quo privilegio etiam scholares ad quinquennium gaudent, de licentiâ tamen suorum Prælatorum, *dict. cap. fin.* si tamen status Ecclesiæ id permittat, & beneficium non fuerit parochiale.

Tertio, Pro licentiâ docendi vel obtinendâ professorâ quidquam etiam sub prætextu diutinæ consuetudinis exigere prohibentur ii ad quos earum collatio spectat, adeò ut exactum restitui, & legis prævaricatores officio jubeantur privari. *cap. 2. & 3. b. t.* in hoc tamen simonia non committitur, sed turpe lucrum vocatur.



TITULVS VI.

De

Judæis, Saracenis & eorum servis.

QUÆRES 1. Quid sit infidelitas, & quotuplex? Respond. Infidelitas est abnegatio fidei, vel in totum vel ex parte. Estque triplex.

Paganismus, Iudaismus & Hæresis. Paganismus est error sive secta repugnans fidei scriptæ & negans omne Mysterium revelatum, unde Pagani vocantur, qui non credunt ulli veritati à Deo revelatæ; quales sunt Saraceni, id est Turcæ, Tartari, Persæ, Arabæ, Ægyptij, &c. Sic dicti à Sarâ uxore Abraham, quanquam ab Agar ejus Ancillâ, Ismaelis matris originem traxerint. *can. recurvat, & can. dixit Sar. c. 32. q. 4.* unde ab initio Agareni vocabantur; verum ne viderentur ab ancilla descendere, nomine Agarenorum deposito, sese Saracenos appellabant, ut sic ignominiam declinarent, & labem originis tegerent. Iudaismus est error legem tantum Mosaicam sectantium novo testamento rejecto, unde Iudæi à tribu Iuda vocantur, qui Veteri Testamento ad litteram insistunt, fidem autem in Christum Messiam in Nov. Test. revelatam rejiciunt, quem stulti venturum credunt cum jam natum occiderint.

QUÆRES 2. An licita sit fidelibus cum infidelibus communicatio? Respond. Cum utrisque tam Iudæis quam Saracenis, omnis communicatio fidelibus prohibetur præsertim in divinis, ita ut illorum sacrificiis & superstitionis ritibus approbando vel cooperando interesse nequeant; similiter & in politicis, unde prohibetur: *Primò, cohabitatio*

idque

idque sub pœna excommunicationis: *cap. 5. h. t.* *Secundo*, Ingressus & usus ejusdem balnei, uti & receptio Medicinarum ab iis præparatarum, casu gravissimæ necessitatis excepto. *Tertio*, Convivia inhibentur, ita ut eos nec liceat invitare nec ad invitationem factam eorum convivia frequentare. *Quarto*, Non licet Christiano servire iudeo, aut ei famulatum assiduum exhibere. *Quinto*, Prohibentur Christiani Judæis publica conferre officia, *cap. 16. h. t.* cum durum sit ut blasphemus in Christum, in Christianos exercent potestatem. *Sexto*, Prohibentur Christiani sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Turcis aliisque infidelibus etiam extra tempora belli arma deferre, ne Christiani nominis hostes ad nos debellandos reddantur expeditiores *cap. 13. & extravag. 1. inter comm. h. t.*

QUÆRES 3. An liceat principibus Christianis Synagogas & ritus Iudæorum tolerare? Ratio dubitandi oritur à paritate Paganorum quorum templa claudi jubentur, & dejici. *l. 1. § l. omnia Cod. de Paganis.* Cur non similiter demoliendæ essent Iudæorum Synagogæ, quorum Ceremoniæ exercentur in odium fidei Christianæ? hoc non obstante Respond. Tolerari posse; Ratio est quia per Iudaicas Ceremonias olim fuit præfigurata Christianorum veritas quam nos tenemus, unde fidei nostræ testimonium in Ceremoniis Iudæorum videmus, quam utilitatem in Paganorum ritibus non reperimus.

QUÆRES 4. An Iudæi & Pagani cogi possint ad suscipiendam fidem? Suadere id videtur textus *can. jam vero caus. 23. q. 4.* quo subditus infidelis exactione tributi ad eam compelli, & *tex.*

Hh 5

tut.

tus *l. fin. Cod. de paganis*, qua baptizari renuentes confiscatione bonorum & exilio plecti jubentur, & exemplum Regis Hispaniarum, qui Iudæos baptismum recusantes confiscatione, flagellatione, & exilio punivit. Quibus non obstantibus Respond. Eos directè ad fidem suscipiendam cogi non posse, cum nec potestas Ecclesiæ, quæ solos baptizatos iudicat, nec iurisdictio principum, quæ tranquillitatem tantum Reipublicæ considerat, eò usque se extendat; indirectè tamen, præmiis videl. privilegiis, vel rigorosis exactionibus, ad fidem induci posse communis est Canonistarum & Theologorum Doctrina; Et de hac loquuntur allegati Canones, non de coactione directâ; executio Regis Hispanorum in Iudæos facta coactionem directam licitam esse non evincit; vel enim facta est ob periculum perversionis, aut adevitanda gravia mala; quæ, ut experientia loculenter testatur, ex eorum malitia in rempublicam Christianam derivantur.

TITULUS VII.

De

Hæreticis.

QUÆRES I. Quid sit hæresis. Respond. Hæresis est error contra fidem cum pertinaciâ conjunctus in eo qui fidem suscepit. Ex qua definitione patet hæreticum non esse qui doctrinam suam Iudicio Ecclesiæ contrariam esse ignorat, propter defectum pertinaciæ; nec eum qui metu percussus exterius fidem negat, quam in

cor de

corde retinet; cum non habeat Iudicium Ecclesiæ contrarium. Hæretici igitur dicuntur, qui spretâ Ecclesiæ auctoritate Scripturam ad sensum sibi placentem intelligunt & ex hoc doctrinas fidei contrarias introducunt.

QUÆRES 2. Quinam in specie pro hæreticis habendi sint? Respond. Tam varias esse eorum sectas, ut Owenus legens verba Apostolorum Luc. 17. *Domine audage nobis fidem.* meritò dixerit:

Non augenda fides potius minuenda videtur,

Cum vix sint homines tot, quot in orbe fides.

communiter autem ab auctoribus suis nomen consequuntur; Sic Lutherani à Lutherò, Calvinistæ à Calvino hæresiarchis nuncupantur, ideo risu digni, quod non Deum sed hominem, fidei suæ auctorem agnoscant, quem enormia vitia undique difamârunt.

QUÆRES 3. Unde proveniant hæreses? Respon. Causa efficiens hæreseos est diabolus, pertinacia mentis, perversus intellectus, diffidium, imperitia, & arrogantia doctorum *can. dixit Apostolus caus. 24. q. 3.* Quorum finis est interitus, cum præmium ab eo expectent, quo suadente hæreses introduxerunt.

QUÆRES 4. Quænam circa hæreticos præsertim titulo statuantur? Respond. Ad impediendum ne hæreses facile nascantur, vel natæ latius non propagentur, multa à SS. Canonibus salubriter sunt constituta. 1. Quidam damnantur clandestina cum iis conventicula in locis præsertim de hæresi suspectis *cap. 12. & 13. §. fin. h. t. 2.* Cum ipsis hæreticis damnantur eorum libri, igne non lecti digni,

digni, quos proinde sine licentiâ speciali à Summo Pontificâ impetrata, sub pœnâ excommunicatiōis legere non licet. 3. Laicis interdicta est omnis prædicatio. *cap. 12. § 13. h. t.* qui non solum sed & ecclesiastici præter auctoritatem à Sede Apostolicâ, vel locorum ordinariis acceptam, prædicatiōnis officium usurpantes, excommunicari jubentur. 4. Laici publicè de Mysteriis fidei disputare prohibentur, ob eorum ignorantiam & periculū perversiōnis.

QUÆRES 5. Quænam pœnæ sint in hæreticos statutæ? Resp. Ad arcendas hæreses graves Iura pœnas statuerunt quarum metu homines ab erroribus præservandi essent. Prima pœna est excommunicatio ipso jure lata & Papæ reservata *cap. 9. h. t.* qua & fautores, id est defensores & receptores ligantur. *cap. 8. § 13. vers. credentes. h. t. § cap. 2. eod. in 6.* Secunda Pœna est irregularitas, sive inhabilitas ad suscipiendos ordines, etiam post absolutiōnem impetratam *cap. 2. h. t. in 6.* quod tamen in Germania nostra in procedit, teste expedientia. Tertiâ est inhabilitas ad beneficia, officia, & dignitates Ecclesiasticas. *cap. 2. h. t. in 6.* Quarta est infamia juris, quæ ipsos etiam liberos afficit. Quinta est confiscatio omnium bonorum quæ ipso jure incurritur *e. 19. h. t. in 6.* Sexta est amotio ab officiis antea habitis. Septima est amissio patriæ potestatis in liberos qui sui juris sunt, à die commissæ hæreseos. *cap. 2. §. fin. h. t. in 6.* Octava est absolutio subditorum ab omni obligatione etiam juratâ *cap. fin. h. t.* Est traditio hæreticorum in manus potestatis sæcularis, à quasi aut recidivi fuerint, aut hæresim abjurare noluerint, ultimo possunt plecti supplicio uti docet praxis inquisitionum in Italiâ.

TITVLVS VIII.

De

Schismaticis & ordinatis ab eis.

QUÆRES 1. Quid sit Schisma? Respond. Schisma à Sciffura dictum, est discessio ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam facta; juxta quam definitionem schismaticus propriè dicitur, qui Papæ tanquam summo Ecclesiæ capiti subesse, eique cum aliis membris debitam reventiam & obedientiam exhibere recusat. Ex quo patet schismaticum non esse quemvis excommunicatum, quia non separat se à communione fidelium, sed potius separatur; nec eum qui ab obedientiâ unius Episcopi recedit, cum maneat in obedientiâ Papæ, & unione universalis Ecclesiæ.

QUÆRES 2. An & quæ sit hæresin inter & schisma distinctio? Respond. Licet schisma ab hæresi differat, sed quod ista directè opponatur fidei, negando aliqua ejus dogmata, illud verò charitati contrarietur, unionem, quæ in charitate consistit, scindendo, ideòque schismatici esse possint, qui hæretici non sunt *can. inter hæresin caus. 23. q. 4.* frequenter tamen imò plerumque schisma cum hæresi conjunctum est.

QUÆRES 3. Quæ sint schismaticorum pœnæ? Respond. Pœnæ schismaticorum sunt 1. Excommunicatio. *can. nulli. dist. 19.* quæ hodie est latæ sententiæ & in Bullâ cœnæ domini reservata Pontifici. 2. Inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica & dignitates præsertim Episcopalem. *c. 5. de electione.*

3. lxxv

3. Irritæ sunt collationes beneficiorum & rerum Ecclesiasticarum alienationes per schismaticos factæ *s. i. h. t.* imò & ordinationes. *cap. 1. § 2. h. t.* non quodammodo quoad characterem sacramentalem, vel consecrationem, sed quoad executionem, quia ordinationi ad iis, ab ordinis usu & exercitio suspenduntur donec cum iis fuerit dispensatum.

TITULUS IX.

De

De Apostatis & Reiterantibus baptisma.

QUÆRES 1. Quid sit Apostasia & quotuplex
Respond. Apostasia est à statu fidei, obedientiæ, & religionis, quam quis professus est, tenere, recessus temerarius; ejus juxta Innoc. *cap. praterea h. t.* tres sunt species, perfidiæ videlicet à obedientiæ, & irregularitatis, perfidia sive apostasia à fide est omnimoda desertio fidei Christianæ; enim qui à quibusdam articulis fidei recedit, reliquos retinet, hæreticus est non apostata. Apostasia à obedientiæ sive à religione, est temerarius recessus à Religioso statu per professionem inuito, quæ committitur, si religio temere & cum animo nequam deseratur, etiamsi habitus non abjiciatur. Apostasia à irregularitatis sive ab ordine clericali, est temeraria defectio à statu clericali, ad statum laicalem, prout fit, quandò Clericus relicto ordine & habitu contrahit matrimonium, militiam vel aliam rationem vivendi à sæcularem propria auctoritate transit.

QUÆ

QUÆRES. 5. Qualiter puniantur reite-
rantes baptismum? Respond. Ii qui scienter &
absolutè baptismum reiterant, ut faciunt anabapti-
sta, de Iure Civili ultimo afficiuntur supplicio, de Ju-
re autem Canonico fiunt irregulares, c. 2. b. t. Et
insuper si Clerici fuerint, deponuntur, si laici ex
communicantur, can. fin. dist. 51.

TITULUS X.

De

His qui liberos occiderunt.

QUÆRES 1. Quid sit parricidium? Respond.
Licet nomine parricidii veniat ferè quæcun-
que cædes contra pietatem in cognatos vel af-
fines perpetrata *l. 1. ff. ad l. pompeii. de parricid. Et. uni*
Cod. de his qui parentes; Hic tamen de eo solùm par-
ricidio agimus quod in parentes vel liberos exer-
cetur.

QUÆRES 2. Quæ sit parricidarum pœ-
na? Respond. Pœna parricidii olim sane erat gra-
vissima & horrenda de Iure Civili; qui enim pa-
rentes vel liberos, avum vel aviam, nepotem, occi-
derat, virgis sanguineis ad sanguinem cælus, & sac-
co coriaceo cum cane, gallo gallinaceo, viperâ & fi-
miâ inclusus, in mare, aut flumen propinquum ja-
ctabatur, aut si flumen non esset, bestiis objice-
batur. *l. pnnult. ff. Et. uni. Cod. de id. tit.* cui pœnæ ho-
die abrogatæ, aliæ pro arbitrio iudicis & varietate
circumstantiarû successerunt; alicubi enim parrici-
dæ membræ rotæ subjiciuntur; alibi cauda equi
ad loq

ad locum supplicii tracti decapitantur, & rotæ affiguntur; alibi strangulati & dolio oclusi in flumen demerguntur. Jure Canonico gravius aliis homicidis puniuntur. Is quidem qui parentem occidit, ab ingressu Ecclesiæ, uno, à S. Communione duobus annis arcetur, & præterea condemnatur ad jejunia aliaque pœnitentiæ opera *can. latorem cau. 33. q. 2.* mater autem filium occidens in monasterium olim detrudebatur, ad agendam pœnitentiam perpetuam, hodiè pœnam subit arbitrariam; denique ad evitandum infanticidium, infantes collocandi non sunt in parentum lectis, ubi si infans occisus aut suffocatus reperiatur, & à quo factum ignoretur, uterque parens ad triennem pœnitentiam, in pane & aqua transigendam, condemnatur. *cap. fin. b. t.*

TITULUS XI.

De

Infantibus & languidis expositis.

QUÆRES I. Quid sit expositio infantum & languidorum? Respond. Expositio est quando pater vel mater, dominus vel etiam extraneus ipsis scientibus & ratum habentibus, spreto pietatis officio infantem, filium, liberum, vel servum ante Ecclesias vel alium locum publicum collocant, ad hoc ut alii eos videntes excommiseratione recolligant, & educant; ejus igitur finis est, ut expositi vel moriantur, vel excommiseratione suscipiantur.

QUÆRES

QUÆRES 2. Quæ sint pœnæ exponen-
tium? Respond. Pater filium & dominus servum
exponentes, potestatem patriam in quantum sibi
favorabilis est amittunt, & insuper ut homicidæ tra-
ctantur e. si expositus dñs. 87. l. 2. cod. de agnosc. & alen.
liber. l. 1. S. pœnæ ff. eod.

TITVLVS XII.

De

Homicidio voluntario vel casuali.

QUÆRES 1. Quid sit homicidium & quo-
tuplex? Respond. Homicidium est vio-
lenta exanimatio corporis humani ab homine
facta. estque duplex voluntarium & casuale, volun-
tarium dicitur, quod in se intenditur, idque vel
directè, ut si quis aliū aggrediatur gladio ex propo-
sito & intentione occidendi; vel indirectè ponen-
do, causam propinquam, ex qua mors eartè secuta-
ta potuit prævideri, etsi causam ponens id non in-
tenderit; ut si ex gravi percussione fœminæ sequa-
tur abortus, vel sclopo in locum hominibus frequen-
tem exploso occidatur homo. casuale dicitur quod
accidit præter intentionem occidentis.

Voluntarium, aliud est *justum*, aliud *injustum*.
Justum est quod licitè committitur, vel a privato ad
necessariam vitæ lux defensionem aggressorem occi-
dente; vel auctoritate publicâ in bello justo, vel
etiam iudicio criminali. Injustum est quod fit illi-
citè, videl. contra prohibitionem legis naturalis,
divinæ vel humanæ.

QUÆRES 2. Quæ sit pœna in homicidas
li itatu-

statuta? Respond. Homicidæ de Iure Civili olim per *l. Cornelliam de Sicariis* factâ omnium bonorum confiscatione deportabantur in Insulam; hodiè autem juxta ordinationem criminalem Caroli V. morte plectuntur. Iure Canonico homicidæ laici sint, incurrunt excommunicationem sententiæ ferendæ. *can. itaque cap. 24. quest. 3.* Clerici autem Ab officio & beneficio sunt deponendi. *cap. 6. §. h. b. t.* & in arctum Monasterium detrudendi, cui penæ hodie carceres vel tiremes successerunt. Si tamen homicidium reiteretur gravius puniendi & curiæ sæculari tradendi essent juxta *cap. 10. de judiciis 2.* Clericis homicidis beneficia Ecclesiastica conferri prohibentur, à *Trid. sess. 14 cap. 2.* 3. Incurrunt irregularitatem, ita ut etiam si homicidium esset occultum etiam post pœnitentiam peractam, ordinem suscipere, & in susceptis ministrare nequeant. *cap. 6. h. t. §. cap. 21. de accusatione.* Similis irregularitas incurritur per procurationem abortus si fœtus jam fuit animatus *c. 20. h. t.* quod ex communi medicorum sensu de masculo 40. de fœmellâ 30. die conceptione præsumitur; Imò & per voluntariam mutilationem tam sui quam alterius. *can. qui pariter dist. 55.* Si videlicet amputetur membrum corporis peculiarem & ab aliis membris distinctam habentem functionem, cujusmodi sunt manus, pes, oculus, nares, auris, lingua, & similia.

QUÆRES 3. An ad incurrendam irregularitatem requiratur, ut quis per se ipsum mutilet, vel occidat? Respond. Negat. sed sufficit si id faciat pro aliam, ut habet regula 72. in 6. unde eam incurrit: 1. Mandans, si mandato intimato homicidium sit secutum. *c. fin. h. t. in 6.* quod verum est etiam si

etiam si ante patrata cædem mandatum fuisset re-
 vocatum, revocatione tamen mandatario nondum
 insinuata, quia quidquid iste agit, nomine mandan-
 tis facit, qui proinde est causa Moralis homicidii
 subsequenti. 2. Consulens, id est, qui rationibus
 alium ad occisionem vel mutilationem inducit *cap.*
6. §. qui vero & §. fin. h. t. 3. Consentiens, non qua-
 licunque consensu, sed tali, qui efficaciter in cæ-
 dem influat, v. gr. si quis occisori cooperetur, vel
 ei animum & robur addat, vel suo nomine sive ad se
 vindicandum occidere volentis propositum appro-
 bet. ab hac tamen irregularitatis pœnâ immunes e-
 runt homicidium ratum habentes; quia irregularitas
 non incurritur nisi per concursum ad cædem; rati ha-
 bentes autem hoc ipso, quod sæpius homicidio jam
 patrato superveniant, concurrere dici non pos-
 sunt; & licet excommunicentur, *cap. cum quis. de sent.*
excommun. in 6. non tamen fiunt irregulares, cum
 pœna non incurritur nisi in casibus à lure expressis.

Dices rati habitio æquiparatur mandato *cap.*
to. de R. J. in 6. Ergo si Mandatarius fiat irregularis,
 etiam rati habens fiet. Resp. Æquiparatur quoad
 culpam Concedo, quoad pœnam Juris Nego.

QVÆRES 4. An incurritur irregularitas per
 homicidium etiam justum? Resp. Disting. homici-
 dium justum vel fit auctoritate publica videl. in bello
 justo, & judicio criminali, vel auctoritate privatâ ad
 sui defensionem; si auctoritate privatâ subdistinguo;
 velenim fuit observatum moderamen inculpatæ tu-
 telæ, id est justæ defensionis limites non excedendo,
 & occidens non fiet irregularis, secus si dictum
 moderamen omiserit. Si fiat auctoritate publicâ,

v.gr. vi sententiæ judicialis, convenit inter omnes quòd irregulares fiant, Judex cum assessoribus reum condemnans, actor accusans, advocatus, testes, ministri justitiæ & alii similes ad ferendam sententiam, vel ejus executionem concurrentes. per textum *can. 1. dist. 51. can. his actibus c. 23. q. 8. cap. Clerici & cap. sententiam ne Clerici vel Monachi.* Ratio autem movens canones ad introducendam irregularitatem ex homicidio etiam justo, est defectus mansuetudinis, sive perfectæ lenitatis, cum indecens videatur, ut is personam Christi mitissimi, repræsentet, qui aliorum sanguinem voluntarie fudit.

QUÆRES 5. An irregularis fiat occidens invasorem, si fugiendo mortem evitare potuisset? Non obstante distinctione quam quidam inter plebeos & nobiles excogitant, hos ab irregularitate excusantes, eò quòd nobili turpis sit fuga, non item plebeo, Respond. Tales sive nobiles fuerint, sive plebei, absolutè irregulares fieri, prout habet glossa in *Clement. unib. 2.* & docet *barbosa* *ibid. num. 27.* quod ipsum ex cit. clementinæ verbis manifestè colligitur; ait enim eos tantùm irregulares non fieri qui vitam aliter servare non potuerint, nisi occidendo invasorem; Ergò si fugiendo servare potuissent, irregulares fient.

QUÆRES 6. An etiam ex homicidio casuali oriatur irregularitas? Resp. Distinguendo duos casus vel enim casualiter occidens dedit operam re licitæ vel illicitæ? Si licitæ, subdistinguo, vel adhibuit debitam diligentiam ad præcavendum homicidium & non fiet irregularis *cap. 23. & fin. h. 2. vel diligentiam debitam omisit & tunc irregularitatem contrahet, ex cap. continebatur b. t. & ex cap. 7. & fin. b. t. in*

b. l. in 6. Quòd si verò rei illicitæ operam dederit, adhibita tamen ad præcavendum homicidium diligentia debitâ, dubium est inter Doctores an talis secuto homicidio pro irregulari habendus sit? Quidam affirmant talem absolutè pro irregulari habendum moti auctoritate *cap. tua nos h. t. & cap. 9. ne Clerici vel Monachi.* Ubi irregulares pronuntiantur, qui operam rei etiam licitæ dantes debitâ diligentiam adhibita homicidium patrârunt; Ergò à potiori qui rem faciens illicitam occidit. Alii econtra distinguunt, & irregularem pronuntiant eum, qui per actionem ex se illicitam vel saltem valdè periculosam & facile inductivam mortis, alium occidit, licet omnem diligentiam adhibuerit, qualis actio est v. gr. exercitium chirurgiæ, &c. Eum autem qui per actionem ex se non ita periculosam nec facile mortis causativam occidit, si debitam adhibuerit diligentiam ab irregularitate excusant; Sic Clericus venationi insistens, si hominem pro fera occiderit, irregularis minime erit; quæ ultima sententia est verior; prior autem juri conformior.

TITULUS XIII.

De

Torneamentis.

QUÆRES. Quid sint Torneamenta, & an licita sint necne? Respond. Torneamenta sunt certæ feriæ, in quibus milites ex condito conveniunt, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ congregari solent, *cap. 1. h. t.* prout

li 3

olim

olim in Germanâ nostrâ frequenter fieri solebat, & hodieum adhuc in multis terrarum partibus praticatur, ubi nobiles hastis acutas cuspides habentibus congregiuntur. Qui si occisio secuta fuerit, non aliter ac veri homicidæ tractantur, intellige de Iure Canonico; leges enim Torneamenta permittunt, cum, ut illæ loquuntur, sit certamen non iniuriæ gratiâ, sed virtutis causa initum.

TITVLVS XIV.

De

Clericis pugnantis in duello.

QUÆRES 1. Quid sit duellum? Resp. Est singulare certamen inter aliquos ex conditio susceptum, quod fit ad probationem veritatis, cum is qui vicit, probasse, victus autem in probatione defecisse censeatur.

QUÆRES 2. An liceat aliquando duellum alteri offerre aut saltem oblatum acceptare? Priusquam respondeam sciendum est, duella iniri ordinariè ad ostensionem virium, ad vindicationem illatæ tibi iniuriæ, ad manifestationem Innocentiæ vel veritatis, & hodiè potissimum ad defensionem honoris aliàs amittendi, si duellum non ineatur, de quo ultimo duelli casu maximè quæritur, an non propterea duellum oblatum licitè acceptari possit? Sunt quidam laxæ conscientiæ Doctores qui id affirmant, ex ratione quod respuens, gravem patiatur honoris jacturam, qui pari passu cum vitâ ambulat; verum communis est Doctorum sanæ conscientiæ sententia, id non licere; Ratio est, quia duellum

ellum est medium ineptissimum ad defensionem honoris, cum acceptans duellum, apud veros sapientes non solum honorem, sed & prudentiæ & virtutis Christianæ nomen amittat, & perpetuæ infamiæ notam incurrat. ex decreto *Concil. Trident. sess. 25. c. 19. de reform.* ideòque duella, non de jure canonico tantum sed & de jure civili *l. un. cod. de digladiatoribus.* Prohibita reperiuntur.

QUÆRES 3. Quæ sit duellantium pœna?

Respond. In jure Civili non reperiri certam pœnam de duellantibus statutam, Jure autem Canonico Clerici duellantes deponuntur; laici autem præter excommunicationem, confiscatione bonorum puniuntur, & occisor ut homicida castigatur, occisus autem sepulturâ Ecclesiasticâ privatur. quam excommunicationem incurrunt etiam duellantium patroni, suaflores, consulentes, imò & princeps aliique domini temporales, qui duellantibus locum in territoriis suis concedunt. *cap. 1. & 2. h. t. & Trid. loc. cit.*

TITULUS XV.

De Sagittariis.

QUÆRES. Qui dicantur Sagittarii? Respond. Sagittarii à mittendis sagittis, dicti sunt milites, qui in bello sagittis, id est arcu & ballistis ad perimendos homines utuntur, qui non minus quàm alii pugnantes pœnis Canonicis coërcentur; non tamen absolutè usus sagittarum prohibetur, cum principi bellum justum gerenti licitum sit, vim vi quocunque modo repelle-

repellere, sed id solum cavetur, ne ars illa mortifera & odibilis contra Christianos exerceatur, aut Christiani nominis hostes hac in arte contra Christianos exerceantur, sub pœnâ excommunicationis per sententiam infligendâ. *cap. un. h. t.*

TITULUS XVI.

De

Adulteriis & stupro.

QUÆRES 1. Quid sit adulterium & quod duplex? *Resp.* Adulterium strictè & propriè sumptum est *violatio alieni thori* aliud dicitur formale, quod à duobus conjugatis committitur; aliud simplex, quod à conjugato cū solutâ, vel contra patrat; inter quæ licet de Jure Canonico non sit differentia, est tamen de Jure Civili, eò quod hoc Jure adulter non censeatur, qui cum solutâ concubuit, *l. 1. Cod. de adulteris.* adeoque pœnæ in adulteros statutz, hoc casu locum non habent.

QUÆRES 2. Quæ sint adulteri pœnæ? *Respond.* Pœnæ adulteri infliguntur aliæ de Jure Canonico, aliæ de Jure Civili. Jure Canonico [sublatâ mortis pœnâ *Deuter. 22.* Pro adulteris statutz] Clericus adulter ab officio & beneficio deponendus est. *can. si quis Clericus dist. 81.* & insuper in Monasterium ad agendam pœnitentiam perpetuam detruendus; licet hodiè crimen hoc mitius puniatur, forsitan quòd frequentius perpetretur, id singulariter in odium adulterorum statutum est, quòd *maritus adulteri inflagranti deprehensum impure occidere potu-*

potuerit, l. 24. §. ad legem Iuriam de adulteris, quo rigore sublato hoc unicum maritus solatium habet, quòd si Clericum cum uxore sua deprehensum percussit, excommunicationem non incurrat, cap. 3. de sent. excoicat. eo quod talis percussio potius iusti doloris vehementiâ quàm suadente diabolo præsumatur facta; jure autem Civili in adulteros est statuta pœna gladii per ordinationem Caroli V. art. 120. quòd in Hassiâ & Saxonîâ rigorosissimè observatur, in aliis autem partibus crimen hoc misericordiam meretur.

QUÆRES 3. Quid sit stuprum? Resp. Stuprum strictè sumptum est illicita defloratio virginis citrà vim facta, quæ etiam fornicatio simplex dicitur. Hæc aliter punitur de Jure Canonico, aliter de Jure Civili. Jure Civili deflorans virginem publicatione dimidiæ partis bonorum, vel relegatione, vel ut hodiè fieri solet, pœnâ arbitrariâ punitur; Jure autem Canonico deflorator defloratam, dotare, eamque uxorem habere compellitur, aut si id facere renuat corporaliter castigatus in Monasterium detruditur *cap. 2. h. t.* quod si Clericus taliter peccaverit, deponi, & insuper ad arbitrium judicis, pœnâ pecuniariâ vel etiam corporali poterit puniri.



TITULUS XVII.

De

Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

QUÆRES 1. Quid sit Raptus? Respond. Raptus duplex est. Aut enim circa res committitur aut circa personas; Si circa personas propriè raptus dicitur; Si circa res, rapina vocatur. Rapina est fraudulenta rei alienæ contrectatio vi aut dolo malo studiosè facta; *l. si vendidero ff. de furtis.* Differt à furto quod hoc plerumque occultè fiat, rapina autem manifestè & violenter. Raptus in genere est mulieris, virginis, seu viduæ, seu monialis nuptæ, vel innuptæ, vel etiam masculi libidinis causa abductio; hoc loco autem & propriè dicitur, sceminæ innuptæ, cujus fama honesta est, invitis illis in quorum potestate est, abductio *can. lex illa. 36. q. 1.*

QUÆRES 2. Qui sint incendiarii? Resp. Incendiarii dicuntur qui datâ operâ apposito igne, oppida, pagos, domos prædia vel segetes alienas, ex odio, vindictâ aliâq; simili causâ per se vel per alios incendunt, vel auxilium præstant. *can. pessimam. 6. 23. q. 8.*

QUÆRES 3. Qui sint violatores Ecclesiarum? Respond. Violatores Ecclesiarum sunt, qui Ecclesias, aliâque loca pia, violenter effringunt, & spoliant, quod spolium sacrilegium vocatur, & tribus modis committitur, videlicet. auferendo rem sacram de loco sacro; rem sacram de loco non sacro, vel

vel rem non sacram de loco sacro. *can. si quis contu-*
max. Scen. quisquis. c. 17. q. 4.

QUÆRES 4. Quænam sit pœna in raptõ-
res statuta? Respond. Pœna rapinæ *prima* est actio
vi bonõrum raptorum, quæ datur ei, ex cujus bo-
nis res rapta est, vel cujus interest, rem non fuisse
raptam, licet eam non habeat in bonis, qualis est
creditor respectu pignoris, depositarius, condu-
ctor, usufructuarius, &c. Quæ actio intra annum
utilem datur in quadruplum, cui quadruplo inest rei
persecutio, post añum non nisi in simplum *§. 1. Inst. de*
vi bonor. raptor. *Secunda*, pœna est capitalis secun-
dum Carolinã pœnalem. *art. 126. de jure Canonico*
præcipua rapinæ pœna est Excommunicatio, infligen-
da ab Episcopo loci, in qua rapina fuit commissa, à
qua absolvi prohibetur, donec damnum illatum re-
sarcierit, vel caverit resarciendo. quòd si satisfacere
noluerit, aut in ipsa fuerit deprædatione occisus,
cœmeterio indignus communem cum aliis bestiis se-
pulturam nanciscitur. *cap. 2. h. t.*

QUÆRES 4. Quænam sit pœna raptus
propriè dicti? Respond. Pœna raptus secundum
leges est, quod raptor in flagranti deprehensus à pro-
pinquis raptæ impunè occidatur, convictus autem
de raptu ultimo supplicio afficiatur, confiscatis om-
nibus ejus bonis, quæ vel personæ raptæ, vel con-
sanguineis ejus assignantur. *l. unie. Cod. de raptu virg.*
novel. 143 de raptis mulieribus. & novell. 150. de eâ que
raptoris suo nubit. & insuper matrimonium inter ra-
ptorem & raptum interdicitur, *dict. l. unie.* secun-
dum Canones autem raptor imprimis raptam nec li-
cité nec validè ducit in uxorem, nisi illa separata &
in loco tuto ac securo constituta liberè in matrimo-
nium

monium consentiat. *Trid. sess. 24. c. 6. de reform. ma-
trimon.* deinde publicam subit pœnitentiam sine spe
Conjugii. *can. 33. & sequenti cap. 27 q. 2.* & insuper
incurrit excommunicationem sententiæ ferendæ
quæ matrimonio actualiter secuto est latæ sententiæ
Concil. Trid. loc. cit.

QUÆRES 5. Quâ pœnâ coërceantur in-
cendiarii? Resp. Pœna Incendiariorum Jure Civili
est capitalis. *l. capitalium §. Incendiarij. de pœnis. & ho-
diernis quidem moribus juxta ordinationem Caroli
V. art. 125.* vivi comburuntur; de Jure Can. Cleri-
cus incendiarius arbitrio ludicis punitur, laicus au-
tem Ecclesias vel loca pia aut etiam profana incen-
dens excommunicationem incurrit Papæ reserva-
tam *cap. 19. de sent. excoicat.* quo jure omnes incendi-
arii indigni sepultura judicantur, donec contriti,
damnum resarcierint, quod intulerunt.

QUÆRES 6. Qualiter puniuntur violan-
tes Ecclesias? Respond. Violatores Ecclesiarum
sacrilegi, olim pro qualitate circumstantiarum, vari-
riè puniebantur; aut enim damnabantur ad bestias
& metalla; aut deportabantur. *l. 6. ff. ad l. Juliam
peculatus;* vel verberatione, aut exilio plecteban-
tur. *authent. sed novo Cod. de Episc. & Cler.* hodie se-
cundùm Carolinam pœnalem *art. 162.* Si quis e
loco sacro Chyrothecam cum S. Hestia abstulerit,
vivid comburitur; Si calicem, aut alias res similes
extraxerit, ultimo supplicio afficitur; de Jure au-
tem Canonico sepultura Ecclesiastica privatur,
& excommunicatur.

TITULUS XVIII.

De
Furtis.

QUÆRES 1. Quid sit furtum? Resp. Furtum definitur fraudulenta rei alienæ contractatio, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel usus, vel possessionis *l. 1. in fine ff. b. t.* dicitur: 1. *Rei alienæ*; quia in re propria, quatenus talis est, furtum non committitur, dicitur. 2. *Fraudulenta*, quia simplex contractatio furem non facit, si animus fraudulentus absit; ad fraudem autem duo hæc requiruntur, ut contractans sciat rem esse alienam, & ut fiat inscio & invito domino, per quod furtum à rapinâ distinguitur, dicitur 3. *Contractatio*, videlicet actualis; solus enim conatus non facit furem; ideòque actione furti non tenetur, qui ædes alienas ingressus furari voluit, sed nihil adhuc contractavit, sed vel injuriatum, vel de vi conveniendus & arbitrio judicis puniendus erit, dicitur 4. *Lucri gratiâ*; hinc fur non est, qui rem alienam, vel ex loco, vel in extrema necessitate, subducit, quia deest animus lucri faciendi.

QUÆRES 2. Quæ sit furti divisio? Resp. Furtum in specie consideratum vel est manifestum; ut si quis deprehendatur, antequam fur cum re furtivâ ad locum destinatum pervenerit, *l. fur est manifestus ff. b. t.* vel non manifestum, quale est, si quis rem furto ablatam ad locum præfixum detulerit, *l. si ve igitur. & sequenti ff. eod.* item aliud est diurnum aliud nocturnum; quam distinctionem tempus furti
commis-

commiffi præbuit. Aliam divisionem facit per locum furis, quæ fi de familiâ Domini furtum paffim domesticum vocatur. Locus quoq; furta distinguit; vel enim fit in tumultu, incendio, ruinâ, Naufragio vel extra hos casus; priora furta cenfentur graviora, majorem quoque pœnam merentur, reliqua furta dicuntur communia & ordinariâ pœnâ cenfentur.

QUÆRES 3. Quæ fit pœna furti? Refp. Furta puniuntur, vel de jure Canonico, vel de jure Civili. De jure Civili ex furto competit actio furti pœnalis, qua persequimur pœnam vel quadrupliam, fi furtum manifestum fuerit, vel dupli fi non manifestum; præter quam actionem pœnalem datur etiam persecutio, videl. actio ad exhibendum rei vindictio, & condictio furtiva. in super ex furto criminaliter agitur, ad vindictam publicam, quæ actio id operatur, quod is, qui rem, quinq; solidis, aut plus valentem furatus est, laqueo suspendatur, sin furtum minoris pretii commiserit, scopis mundatus ex patriâ relegatur vide constitutionem Friderici Imperator. in §. si quis quinque solidos de pace tenenda. De jure autem Canonico, Clericus furtum grave committens deponitur. *can. presbyter. dist. 81.* & infamis efficitur. *arg. can. infames c. VI. q. 1.*

TITULUS XIX.

De

Usuris.

QUÆRES 1. Quid sit usura? Respond. Usura ab usu rei dicta optimè definitur, *lucrum immediate proveniens ex maturo.* Dicitur 1. *La-*

rum, id est, res ultra sortem creditori obveniens, sive pecunia, sive alia res pretio æstimabilis fuerit; ex quo evidenter patet, si mutuum dederis, ut alterius amicitiam tibi concilies, usuram non esse, cum non accipias rem pecuniâ æstimabilem; Contra usuram Manifestam committis, si pro pignore mutuum dederis hoc pacto ut fructus ex pignore percipias, donec mutuum solvatur, quia aliquod lucrum ultra sortem percipis, immediatè ex n. u. tuo proveniens. Dicitur. 2. *Immediatè* lucrum enim ex mutuo provenire debet, ut usura dici possit; quod enim ex gratitudine ut aliâ causâ provenit, contractum à labe usuræ lavat.

QUÆRES 2. Quotuplex sit usura? Resp. Dividitur usura ad instar simoniæ, i. in mentalem & realem. Mentalis est concessio mutui cum intentione percipiendi lucrum, sed citrà conventionem. Realis est mutuum eo pacto alteri concessum, ut lucrum inde accipiatur. 2. In formalem & virtua- lem. Formalem usuram committis, si alteri 100. mutues ut lapsò anno 105. recipias; virtualis usurarius eris, si alteri rem pluris justo pretio vendas, ob dilatam solutionem, aut si minoris à debitore tuo emeris, propter solutionem à te anticipatam. 3. dividitur in lucratoriam, compensatoriam & punitoriam; lucratoria de quâ hic agimus, est illa quæ merum lucrum continet. Compensatoria dicitur, quæ solvitur, pro mutuo ratione justî interesse, scil. vel propter lucrum cessans, vel damnum emergens, vel ob periculum mutui recuperandi.

QUÆRES 3. Quo jure sint usuræ prohibi- bitæ? Quæstio solum est, de lucratoriis; quod enim ratione lucri cessantis vel damni emergentis
exigi-

exigitur usura minimè dicitur, quo præviè nota
 Resp. Eas prohibitas esse jure Naturali, divino, &
 humano. Primum patet ex ratione; contra natu-
 ram enim est, ut res aliena mihi fructificet, sed fru-
 ctificare debet domino suo; pecunia autem alteri
 mutuata, non est amplius mea, sed aliena, ergo mihi
 fructificare non debet. 2. Patet ex Veteri & Novo
 Testamento. ex *Psalm. 14.* ex *Ezech 18. Deuter. 22.*
 & ex verbis Christi. *Luc. 6.* desumitur, ex præsentis
 to titulo, eodemque in 6. uti & ex Clementinis, quo
 jure omnis usura lucratoria alias per leges Civiles
 permessa sublata est, & damnata, solo nautico fœdore
 excepto, adeo ut Canones non solum actionem
 jure Civili ad exigendas usuras concessam dene-
 gent, sed & iudices excommunicent, ad earum so-
 lutionem cogentes. *Clem. un. b. t.*

QUÆRES 4. Quid de iis sentiendum, qui-
 bus per pignora de recuperando mutuo latis cau-
 tum est, & nihilominus usuras exigunt? Respond.
 Eos nullâ ratione à peccato excusari posse; & licet
 id in præsentis non credant, remoti tamen consci-
 entia in articulo mortis credent, & serò nimis ex-
 perientur se ex eorum esse stultorum numero, qui
 dum mundum universum lucrari voluerunt, ater-
 num animæ suæ detrimentum passi sunt.

QUÆRES 5. Quæ sint usurariorum pœnæ?
 Respond. Cum omni jure usuræ sint prohibita, nec
 dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, hinc
 usurarii manifesti & occulti: Primò, tenentur ad
 restitutionem usurarum, quæ obligatio ad ipsos
 etiam transit hæredes juxta facultates defuncti. *cap.
 ult. de sepultur.* 2. Fiunt infames jure Canonico &
 Civili. *l. improbum. Cod. ex quib. caus. infam. irrog.*

Tertio

Tertiò, si laici fuerint excommunicantur sin Clerici ab officio & beneficio suspenduntur, imò & deponuntur. *cap. 7. h. e.* Quartò, usurarii manifesti non admittuntur ad communionem altaris nec ad oblationes, nec ad perceptionem Eucharistiæ, nec ad sepulturam Ecclesiasticam; quòd si quis tali scienter sepulturam concesserit, ipso facto excommunicatus erit.

TITULUS XX,

De Crimine falsi.

QUÆRES 1. Quid sit crimen falsi? Respond. Crimen falsi vel falsitas est *dolosa occultatio vel immutatio veritatis ad decipiendum alterum scienter facta. novell. 73. in princip.* ad quod duo requiruntur, videl. ut fiat dolo malo, id est, animo decipiendi proximum & corrumperendi veritatem. *l. 1. ff. b. t.* & ut fiat animo nocendi. Hinc qui falsum dicit, quod verum putabat, falsi crimine non tenetur, cum lingua non peccet, nisi prius conscientia rea fuerit.

QUÆRES. 2. Quot modis crimen falsi committatur? Respond. Falsum committitur quatuor modis, nimirum dicto, scripturâ, facto, & utu. *Dicto* falsum committit testis, falsum ferendo testimonium. *cap. 1. h. e.* *Scripturâ* falsum committit, qui falsa scribit instrumenta vel testamenta, vel verum delet, ut rei veritas non appareat, vel Chyrographum imitatur, siue instrumenta publica fuerint, siue privata tantum. *l. 1. 2. § 23. ff. b. t. facto* falsum

Kk

commit-

committit, qui signum adulterinum fecerit, scelerit, vel partum falsum supposuerit. *l. 19. ff. h. t.* venditor mensuras vini, frumenti, &c. publicè peccatas, corruerit. *l. hodie ff. eod.* Usu falsum committitur, si quis falsis litteris scienter utatur, falsum nomen aut cognomen dolosè usurpet *l. fin. ff. h. t.* autem falsitas non præsumitur, sed probari debet quod si autem probata fuerit.

QUÆRES. 3. Quâ pœnâ falsarii coercantur? Respond. Jure Civili si servus crimen falsi commiserit, ultimo supplicio afficitur, si liber, falsi bonorum publicatione. deportatur. *l. 1. & fin. ff. de agitur autem ex crimine falsi vel civiliter ad id quod interest; vel ad duplum. l. hodie ff. h. t.* vel ad tractandum falsum. *l. 2. Cod. de fid. Instrum.* vel agitur criminaliter ad vindictam publicam. *l. penult. Cod. eod.* & hoc casu iudex pro qualitate personarum, falsitatisque, pœnam imponit, vel eam quæ legibus statuta est moderatur, hinc corruptæ metæ auctor concrematur. *l. penult. Cod. de fals. metæ* qui falsis Constitutionibus utitur, per legem Constantianam igne & aquâ ei interdicitur. *l. fin. ff. eod.* Jure autem Canonico falsarii variis plectuntur pœnis Clerici litteras Apostolicas falsificantes omnibus beneficiis perpetuò privantur; & præviâ degradatione curiæ seculari traduntur, ad subeundam pœnam legibus statutam. Ij verò qui falsis litteris utuntur si Clerici fuerint, deponuntur, si laici excommunicationi subjacent non absolvendi, donec satisfecerint.

TITULUS XXI.

De
Sortilegiis.

QUÆRES 1. Quid sit sortilegium & quotu-
plex? Respond. Sortilegium, quod falsi-
tatem in se continet, est quoddam genus cul-
turæ idolorum, quo per falsam vel superstitiosam
doctrinam, ex quibusdam signis, vel dæmonum
consultationibus futurum prædicatur. *can. quod au-
tem c. 26. q. 5.* Estque duplex unum quod fit causâ
amoris concitandi, alterum, quod causâ prædican-
dorum futurorum eventuum committitur, de quo
præsente *titul.* agimus. hinc sortilegi dicuntur, qui
sub fictæ religionis nomine per quasdam sortes, quas
Sanctorum Apostolorum vocant, divinationis sci-
entiam profitentur, & futura promittunt; qui idè
divinatores dicuntur, quòd se Deo plenos simulent,
& astutiâ quadam incautæ plebi futura prædicant.

QUÆRES. 2. An omnes sortes sint illicitæ?
Priusquam respondeamus, sciendum est, sor-
tes esse triplices, *divisórias, consultórias, & divi-
nórias.* Divisórias sunt, quibus homines in dividen-
dis hæreditatibus uti solent, ad hoc ut sciatur, quid
cuicunque tribuendum sit. consultórias sunt, quibus
divina voluntas exquiritur, ut ille judicet, quid in
certis casibus agendum sit, quid fugiendum. Di-
vinatoriæ dicuntur quibus utuntur homines, ut
futura præsciant, vel etiam præterita aut præ-
sentia occulta detegant, ubi solet communiter
tacita intervenire invocatio dæmonis. Talium
divinationum sunt, 4. genera; videlicet geo-

mantia, aeromantia, pyromantia & Hydromantia in geomantiâ fit, divinatio per terram, in aeromantiâ per aerem, in pyromantiâ per ignem, in Hydromantiâ per aquam, dum in aquarum inspectione dæmones evocantur in umbrâ, & fingitur, ac si quid ab illis audiretur, de quibus aliisque divinationum speciebus latius tractant Theologi. His prævidentis ad Quæst. Respond. Solas divinatorias sortes prohibitas esse: divinatorias enim DEUS ipse approbavit in V. Test. dum Israelitis sorte divisi terram promissionis. *Num. 33. & Jos. 15.* Consultorias exercuerunt Israelitæ in Vet. Testam. Apostoli, dum per sortem, Matthiam in locum Iudæ elegerunt Apostolum; solæ igitur divinatoriæ prohibitiæ sunt, cum per eas tanquam media improporcionata & ineptissima intendamus prædicere futura, quæ à solâ & inscrutabili Dei providentiâ & voluntate dependent.

OBJICIES. Ex Apostolorum Exemplo sequitur electiones posse fieri per sortes; Sed hoc apertè repugnat juri Canonico; *can. aliquanti. can. sort. can. si quis Clericus. caus. 26. q. 5. can. non statim. in exemplo. cum seq. c. 26. q. 2.* Ergò. Respond. Neg. Sequel. quod enim fecerunt Apostoli, speciali Dei revelatione fecerunt, & potius erat fors consultoria, rogabant enim Deum ut ostenderet, quemnam ex duobus elegisset. *Act. 9.*

QUÆRES 3. Quomodò sortilegi puniuntur? Respond. Interdicta illis est Ecclesiæ communicatio, si laici fuerint, Clerici verò degradantur. Estque tam execrandus earum usus ut & legibus veniant interdictæ prout in *Codice Tit. de Maleficiis & Mathematicis* reperies.

TITULUS XXII.

De Collusione detegendâ.

QUÆRES I. Quid sit collusio? Respond.
Collusio est *occulta conventio inter actorem
& reum, ad desistendum ab accusatione, eo sine fa-
cta, ut delicta maneant impunita.* Committitur tam
in causis Civilibus quàm Criminalibus, tam tem-
poralibus quàm Ecclesiasticis, tam per partes prin-
cipales, quàm advocatos & procuratores, quæ col-
lusio cum falsitatem contineat, meritò poenis qui-
busdam coercenda erat.

QUÆRES 2. Quæ sit collusionis poena?
Respond. De iure Civili contra procuratores
colludentes datur actio mandati, qui poena extra-
ordinariâ puniuntur, & infames efficiuntur. *l. ath-
letas. §. item pravaricator. ff. de his qui notant. infam. &
insuper ab officiis suis in perpetuum removentur.*
Quòd si Clerici in causis beneficialibus colluse-
rint, beneficiis suis privandi erunt.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

QUÆRES. I. An delicta infantium vel pu-
erorum puniri debeant? Resp. Pueri pro-
priè dicuntur, qui infantiam id est septi-
mum ætatis annum egressi sunt, annum autem duo-
decimum si foemella fuerit, vel 14. si mas nondum
imple-

impleverunt, *cap. un. de desponsat. impub. in 6.* infantes igitur sunt omnes intra septimum ætatis annum constituti; qui sicut communiter usu rationis carent, sic quoque delinquere non possunt, adeo eorum delicta veniam mereantur, non pœnam. pueri autem quemadmodum sunt doli capaces, sic quoque si deliquerint, pœnis coercendi erunt; cum tamen infirmitas animi eos quodammodo excuset, hinc iudex arbitrio suo pœnam ordinariam poterit moderari.

QUÆRES 2. An ex filiorum delictis teneantur parentes? Respond. Patrem ex delicto filii si pœna corporalis infligenda veniat non teneri, evidens est & indubitatum; at de pœnâ pecuniariâ dubium videri posset, eòquòd aliàs filius frustra conveniretur; verùm hac ratione non obstantè verior est eorum opinio, qui patrem teneri negant, si nec delicti particeps, nec in correctione filii negligens fuerit; æquitati enim repugnat, alienam culpam portare: ideòque si filius propria bona ex quibus pœna persolvi posset, non habeat, alitèr plectendus erit, secundùm commune adagium *qui non habet in arcu luat in cute.*

TITULUS XXIV.

De
Clerico Venatore.

QUÆRES. An Clericis inhibita sit venatio, & quæ pœna Clerico venatori sit in jure dictata? Respond. Licet iure naturali feræ in sylvis sint primò occupantis, ac propterea cui-

cunque

cunque liceat venari; moribus tamen hodiernis pas-
sim soli principes hoc jus sibi vendicantes, venatio-
nem subditis suis sub gravibus etiam pœnis solent
inhibere. Horum exemplum secuti Pontifices Cle-
ricis venationem, maximè clamorosam, quæ cum
canibus fit, interdixerunt, eò quòd ipsis incumbat,
per sedula pietatis officia animas hominum lucrari,
non feras capere, cui interdicto si contravenerint,
Episcopus tribus mensibus à communione, Diaco-
nus & Sub-Diaconus ab omni officio & beneficio
suspendi jubentur. *c. 1. h. t.* reliqui omnes arbitrio ju-
dicis puniendi erunt.

TITULUS XXV.

De

Clerico percussore.

QUÆRES. Quæ percussio sit inhibita Cleri-
cis, & sub quâ pœnâ? Respond. Inhibetur
percussio gravis; Episcopis sub pœnâ suspen-
sionis à celebratione missarum ad duos menses, reli-
quis Clericis sub pœnâ depositionis, si sæpius per-
cusserint, & monitione contemptâ se non correxe-
rint. *c. 1. § 2. h. t.* Moderata enim percussio quæ
correctionis causâ fit, superioribus in subditos sibi
Clericos permessa est; *can. cum beatus. dist. 45. can. ante
omnia. dist. 35.* ut sic metu virgæ à delictis abstineant,
quæ ex amore Dei & salutis æternæ, ca-
vere volebant.

Kk 4

TIT:

TITULUS XXVI.

De
Maledicis.

QUÆRES. Quid sit maledictio & quotuplex?
 Respond. Maledictio ut ipsum nomen indicat
 est dictio mali de præterito vel præfenti, com-
 mittitur tripliciter, vel contra privatum, vel contra
 Principem, vel contra Deum, quod ultimum ma-
 ledictionis genus propriè blasphemia dicitur, & de-
 finitur, *verbum contumeliosum contra Deum vel Sanctos.*
 Quæ cum sit peccatum gravissimum, sic gravissimis
 etiam pœnis coercenda erat. & de jure quidem Ci-
 vili ultimo afficiuntur supplicio, per *Nbwell. 77. c. 1.*
 §. *præceptus.* Iure autem Ecclesiastico Clerici depo-
 nuntur, laici verò publicam subeunt pœnitentiam,
 & pœnam pecuniariam solvunt. *cap. 1. §. 2. b. t.*

TITULUS XXVII.

De
Clerico excommunicato, deposito
vel Interdicto ministrante.

QUÆRES. Quâ pœnâ afficiatur is, qui cen-
 surâ innodatus ordinem suum exercere præ-
 sumperit? Respond. Cum sine gravi pec-
 cato in Divinis ministrare nequeat Clericus, nisi li-
 berum habuerit ordinis sui exercitium, hoc autem
 careat Clericus excommunicatus, depositus, vel in-
 terdictus, hinc pœnis quibusdam peccatum hoc
 coercen-

coercendum erat. Clericus igitur excommunicatus excommunicatione majori, si in ordine suo ministrare præsumserit, dupliciter punitur. *Prima* pœna est depositio ab officio & beneficio, per sententiam infligenda, si monitus non desistat. *Barbos. in Cap. latores h. t.* *Secunda* est irregularitas, quam contrahit censuratus si stante censurâ ordinem susceptum exercuerit, nisi necessitas eum excuset vel scandalum publicum sive infamia timenda aliud suadeat.

TITULUS XXVIII.

De

Clerico non ordinato ministrante.

QUÆRES. An & qualiter puniendus sit, qui ordinem exercet quem non suscepit? **Respond.** Quemadmodum delinquit Clericus in censurâ ministrans, sic delinquit & gravius quidem is qui ordinem exercet nondum susceptum, v. gr. Si Diaconus præsumserit celebrare Missam. Ejus pœna est, 1. quod incurrat excommunicationem sententiæ tamen ferendæ. *cap. 1. h. t.* 2. quod suspendatur ab exercitio ordinis proximè suscepti ad triennium. 3. quod incurrat irregularitatem, vi cujus ad ordines superiores nequeat promoveri. *cap. 2. h. t.*



TITULUS XXIX.

De

Clerico per saltum promotio.

QUÆRES. Quid sit promoveri per saltum, & quæ pœna taliter promotis sit in Iure dictata? Respond. Per saltum promoveri dicitur, qui non gradatim, sed uno vel pluribus ordinibus omisso ordinatur; hoc si scienter fecerit, & in ordine suscepto ministret, pari cum Clerico non ordinato plectitur pœnâ; Si vero ignoranter, inunctâ pœnitentiâ caute supplebitur, quod omissum erat. *cap. un. b. t.*

TITULUS XXX.

De

Eo qui ordinem furtivè suscepit.

QUÆRES I. Quinam ordinem furtivè suscepisse dicantur? Respond. Furtivè ordinem suscipit, qui dolosè, & ignorante Episcopo cum ordinandis se associat, vel qui uno die plures ordines accipit.

QUÆRES 2. Qualiter puniantur ordinem furtivè suscipientes? Respond. Pœna ordinaria huic delicto annexa est, quod taliter ordinatus ab ordine suspensus in Monasterium, ad agendam pœnitentiam, detrudatur, nisi dispensationem desuper obtineat, quæ si delictum fuerit occultum ab Episcopo poterit impetrari. *Trient. sess. 24. c. 6. de reformat.*

TITU.

TITULUS XXXI.

De

Excessibus prælatorum & subditorum.

QUÆRES. Quid sit excessus & quotuplex?
Respond. Excessus est delictum sive vitium, quo quis transgreditur modum in injuncto sibi munere præfixum. alius committitur à Prælati aliis, à subditis. Prælati excedunt, vel in vitâ si defectus committant eorum dignitati contrarios; aut in regimine, si subditos opprimant, exactiones injustas faciant, infantes puniant, Justitiam non administrent, indignos promoveant, &c. super quibus omnibus altissimo rationem reddere debebunt, eò quod neglecto pastoris officio, in lupos conversi commissas sibi oves deglubant, quas non nisi tondere debebant. Excedunt subditi si prælati sive superioribus suis cum debito honore & reverentiâ morem non gerant, si delicta ab iis prohibita committant, si contra eorum personas peccent, &c. Qui excessus qualiter puniantur variis in locis docent canones pro gravitate aut levitate delicti.

TITULUS XXXII.

De

Novi operis nuntiatione.

QUÆRES I. Quid sit novi operis nuntiatio?
Respond. Novi operis nuntiatio est illi vel alteri ejus nomine, qui opus novum in dam-

NUM

num & præjudicium alterius ædificat, legitimè facta prohibitio; nuntiare enim hoc loco nihil aliud est, quàm prohibere, & novum opus nuntiat, qui vicino prohibet ne ædificet, quia novi operis nuntiatio competit solùm aduersus opera quæ nondum facta sunt, si enim facta fuerint, ad *interdictum*, quod *vi vel clam*, vel aliud simile Iuris remedium recurrendum erit.

QUÆRES 2. Quomodò sit facienda nuntiatio? Respond. Nuntiatio hæc tribus modis fieri potest. *Primò* per Prætorem, id est autoritate Magistratus, supplicando ut is ædificare volenti opus novum inhibeat. *Secundò* per privatam denuntiationem aduersario extrajudicialiter factam, ut vel opus novum non incipiat, vel ab incepto desistat. *Tertio*, per dispersionem materiæ ad ædificandum paratæ, quod omni die etiam feriato fieri potest.

QUÆRES 3. Quem effectum habeat nuntiatio? Respond. Effectus hujus nuntiationis est, quòd denuntiatione factâ, teneatur ædificans ab opere cœpto desistere, usque dum judiciali cognitione constet, an jus ædificandi competat nec ne; quod si is nuntiatione contemptâ perrexerit, nec paruerit decreto Iudicis, ipsius expensis quidquid ædificatum est, demoliendum erit, & quidem ante omnem cognitionem judicialem. *l. 1. in principio, § l. 20. §. 1. §. ait prator. ff. b. t.* quorum legum civilium dispositio in foro Ecclesiastico recepta, & in *cap. 1. § sequent. b. t.* Expressè est approbata; qui plura de hac materiâ scire desiderat, leges consulat civiles, ad quas propriè spectat.

TITU.

TITULUS XXXIII.

De

Privilegiis & Excessibus
Privilegiorum.

QUÆRES 1. Quid sit Privilegium & quotuplex? Resp. Privilegium à privatâ lege dictum est Jus singulare, personæ particulari, loco, corpori, vel communitati contra vel præter jus concessum. *can. privilegia. dist. 4.* dividitur in reale & personale; reale est quod immediatè rei v. gr. Ecclesiæ, monasterio inhaeret, cujus tamen utilitas in personam redundat; personale est, quod immediatè personæ uni vel pluribus conceditur, ita ut has sequatur, atque cum iis extinguatur. Eorum effectus est Jus singulare, quod proinde, hoc ipso quòd privatum sit, in consequentiam trahi nequit.

QUÆRES 2. An & qualiter privilegia concessa expirent? Resp. Privilegia semel concessa variis modis expirent. 1. Pereunte ejus subiecto, sic expirat privilegium personale mortuâ personâ, cui concessum erat; Reale autem, pereunte re, cui datum fuerat. 2. Lapso temporis determinati; quod si tempus adjectum non fuerit, perpetuò durabit. 3. Revocatione concedentis, ejusque successoris vel superioris, habent enim privilegia vim suam à solâ voluntate concedentis, ultrâ quam proinde nequeunt extendi. 4. Voluntariâ renuntiatione. 5. Abusu qui hoc [tit.] nomine

nomine excelsus venit, quia privilegium meretur
amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate.

TITULUS XXXIV.

De

Purgatione Canonica.

ET

TITULUS XXXV.

De

Purgatione vulgari.

QUÆRES 1. Cur purgationes sint intro-
ductæ? Respond. Cum pœna infligi ne-
queat, nisi crimine luce meridianâ clarus
probato; Contingat autem quandoque deficiente
probatione vel accusatione, aliquem de Crimine
commisso gravatum esse, hinc ne delicta ob defectum
probationis impunita manerent, hoc per SS. Cano-
nes diffamato injunctum est, ut is super objecto si-
bi crimine, se purget seu excuset, & Innocentiam
suam ostendat.

QUÆRES 2. Quid sit purgatio & quo-
tuplex? Respond. Purgatio est *innocentia super ob-
jecto crimine certis mediis à Jure inventis facta ostensio.*
Dividitur in canonicam & vulgarem. Vulgaris
est, quàm vulgus contra SS. Patrum traditiones, &
prohibi.

prohibitionem Ecclesiæ superstitiosè induxit. Tales purgationes olim fiebant per aquam, in quam injectus, si mergeretur, innoxius, si supernataret nocens credebatur *cap. 8. h. t.* vel per aquam ferventem in quam immissa manus, si illæsa extraheretur. Innocentia probata erat. *can. omnibus c. 2. q. 5.* vel per rogam candentem & alios similes modos, qui meritò tanquam superstitiosi & à diabolo inventi per SS. Canones sunt reprobati. Purgatio Canonica est quæ ad probationem Innocentiæ faciendam Jure Canonico est approbata, & fit medio juramento, dum suspectus de crimine jurat, se tale crimen non commisisse, & in eum finem quandoque 7. quandoque plures vel etiam pauciores compurgatores Jussu Judicis assumit, qui juratò deponunt, se credere, eum à crimine immunem esse. *c. 5. § 16. h. t.*

QUÆRES 3. Quis sit purgationis effectus? Respond. Effectus Purgationis Canonice est quòd diffamatus à suspitione criminis reddatur immunis, ideoque si jurare noluerit, pro convicto habendus, & secundum qualitatem delicti puniendus erit.

TITULUS XXXVI.

De

Injuriis & Damno dato.

QUÆRES 1. Quid sit Injuria. Respond. Sumitur Injuria dupliciter, generaliter pro omni eo, quod non jure fit; Specialiter autem & pro

& prout hujus loci est, sumitur pro contumelia, & definitur, delictum quod committitur, cum liberi hominis corpus dignitas vel fama læditur; ad quod requiritur 1. Animus injuriandi, sicut enim voluntas & propositum delinquentis maleficia distinguunt, sic ea quoque inducunt. *l. quæ Injuria. ff. de Furt.* hinc in *can. illud relatum c. 16. q. 1.* Injuria ex affectu facientis consistere dicitur. Unde patet Animantia bruta contumeliam inferre non posse, cum careant affectu injuriæ faciendæ. 2. Ut fiat re vel verbis, unde oritur divisio Injuriæ in *realem & verbalem*; Realis est, si manus injiciantur, familia corrumpatur &c. Verbalis fit per convicium, vel libellum famosum. 3. Ut persona tam injurians quàm injuriata tales sint, quæ injuriam irrogare ac pati possint.

QUÆRES 2. Quis sit injuriæ illatæ effectus? Respond. Effectus injuriæ primus est actio injuriarum prætoria, quæ ordinariè annalis, in tribus autem casibus civilis est, & ultra anni spatium durat, scilicet, si quis pulsatus verberatus, ejusque domus vi introita fuerit *l. lex cornelia. ff. b. t.* Agitur autem hac actione vel civiliter vel criminaliter, utroque tamen modo ad vindictam; civiliter agit, qui pœnam sibi ipsi adjudicari petit; Criminaliter agitur si agatur vel ad pœnam corporalem, vel pecuniariam quidem, sed fisco applicandam, quo sicut & priori casu Judex pro qualitate personæ injuriantis & injuriatæ, aliarumque circumstantiarum pœnam petitam poterit moderari. Secundus Effectus est Actio Injuriarum reclamatoria, quâ injuriatus, si conviciis læsissus fuerit, ad revocationem verborum injuriosorum agit.

Tertius

Tertius effectus est infamia, sive civiliter, sive criminaliter actum fuerit; quàm tamen evitabit reus si vel per procuratorem litigaverit, vel iudex in sententiâ reservaverit honorem.

QUÆRES 3. Quid sit damnum? Resp. Damnum est injuria quâ quis servum vel quadrupedem alterius occidit, vulneravit, vel alias res ejus confregit, rupit vel læsit; injuria autem hîc non specialiter sed generaliter accipitur pro eo quod contra jus per culpam factum est.

QUÆRES 4. Quis sit damni dati effectus? Respond. Ejus effectus est actio legis Aquiliæ civilis, quæ datur Domino adversus eum qui damnum injuriâ dedit, vel causam damni præstitit, ut quanti plurimi res vel anno proximo vel 30. diebus proximis fuerit, exsolvat. *l. ait lex. § sequent. ff. ad l. aquiliam.* quod ut intelligas, Nota, tria olim fuisse legis aquiliæ capita, quorum secundum hodie in usu non est. Ex primo capite agebatur, quando de hominis vel pecudis internecone quæstio erat. Ex tertio autem, quando de hominis vel pecudis vulneratione, vel etiam animalis, quod pecudum numero non est, occisione, vel aliâs de damno in rebus suis causato quærebatur. Si igitur agatur ex primo capite, fit æstimatio rei, & numeratur pœna quanti plurimi retrò per annum;

si ex Tertio, numeratur pœna quanti plurimi retrò per 30. dies.



LI

TIU.

TITULUS XXXVII.

De
Pœnis.

QUÆRES 1. Quid sit pœna & quotuplex
Respond. Pœna est *coercitio delictorum legibus constituta & approbata*. Dividitur:

1. In *realem, personalem & mixtam*. Personalis est quæ personam tantum afficit, quales de jure Pontificio sunt *excommunicatio, suspensio, depositio &c.* Realis est, quæ in odium personæ delinquentis, rebus imponitur, ut *missio in possessionem rei petitiæ, confiscatio omnium rerum*. Mixta est quæ partim realis est, partim personalis, v. gr. *interdictum, proscriptio, exilium, relegatio*.

2. Dividitur in *criminalem & civilem*. Hæc tendit ad privatum commodum, illa verò ad vindictam publicam, & toties reiteratur, quoties delictum committitur.

3. In *capitalem & non capitalem*, quæ divisio à delictis capitalibus vel non capitalibus suum sumptus exordium.

4. In *Ecclesiasticam & Civilem*. Prior à iudice Ecclesiastico secundum Canones infligitur, posterior à iudice sæculari juxta leges dicitur.

5. In *ordinariam & extraordinariam vel arbitrariam*. ordinaria est in jure expressa, vel saltem per consuetudinem introducta; arbitraria autem præscripta non est, sed prudenti iudicis arbitrio relinquatur.

QUÆ.

QUÆRES 2. Quibus pœnis Iure Canonicò coercantur delinquentes? Respond. Pœnæ Ecclesiasticæ quæ ad Reipublicæ Christianæ satisfactionem & vindictam publicam delinquentibus Clericis & Laicis imponuntur, sunt 1. pœnæ pecuniariæ; quæ etiam ab Episcopis, & Judicibus Ecclesiasticis infligi possunt, non obstante *cap. 13. e-* jusque §. *fin. de offic. ordin. cap. licet b.t.* ubi id videtur prohibitum; allegatis enim capitulis non pœnarum pecuniarum absolutè, sed earum tantùm impositiõ prohibita est, quæ non ex justitiæ zelo, sed ex avaritiâ, & lucri cupiditate imponuntur, nec piis usibus sed bursæ propriæ applicantur. 2. Pœnæ corporales. v. gr. verberatio vel flagellatio moderata. *c. 1. § 2. de calumniat.* Exilium vel relegatio Clerici extra diœcesin. *c. 1. cit.* incarceration; carcer enim, licet de jure Civili sit tantùm custodia, jure tamen Canonico est pœna sceleratorum, vel in perpetuum vel ad tempus pro gravitate delicti. *cap. 3. b.t.* detrusio in Monasterium *c. 1. de confessis cap. 2. de adulteris*, non quidem ad faciendam ibi professionem, sed ad vitam in pane doloris transfigendam. *cap. 1. de regular. infamia. can. infames. c. 6. quest. 1.* confiscatio bonorum. 3. Pœnæ spirituales v. gr. privatio officii vel beneficii Ecclesiastici jam obtenti, quæ non fit nisi in casibus à jure expressis, quas recenset Azor. 2. *part. instit. moral. l. 7. cap. 17.* & quidem post sententiam judicis declaratoriam.



TITULUS XXXVIII.

De

Pœnitentiis & Remissionibus.

QUÆRES I. Quid sit Pœnitentia & quod duplex? Respond. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod commisisse dolet. *can. pœnitentia est, dist. 3.* Non igitur sumitur pœnitentia pro Sacramento, sed pro vindictâ sive spontè susceptâ sive à Sacerdote impostâ. Pœnitentia sic considerata duplex est, *interior & exterior*; illa in corde tantum & interno consistit affectu; hæc verò etiam foràs prorumpit, dum delinquens in planctum, gemitus, & lachrymas resolutus, in se punit, quod iniquè egit. Item alia publica est, alia privata. Publica item duplex, *solemnis & non solemnis*. Solemnem imponit Episcopus ob commissa delicta publica, adhibitis certis solemnitatibus, quas recensent *canon. pœnitentes & can. in capite dist. 50.* non solemnis est quæ publicè quidem imponitur, sed citrà omnem Juris solemnitatem; talis pœna est peregrinatio ad limina Apostolorum vel alia loca pia, &c. Ideo autem publicæ Pœnitentiæ introductæ sunt, quòd rationi congruat, publica delicta publicâ pœnitentiâ expiari. *cap. I. h. t.* Privata pœnitentia est, quæ privatim suscipitur vel injungitur etiam pro delictis gravibus occultè tamen patratis. Privatas Pœnitent-

Pœnitentias cuicumque delinquenti vel propria suggeret devotio, vel discretio confessorii docebit; publicas in Canonibus pœnitentialibus & aliis Juris Canonici locis & titulis reperies.

QUÆRES 2. Quid sint Remissiones?

Respond. Nomine remissionum veniunt indulgentiæ quæ sunt remissio pœnæ peccatis debitæ facta per merita Christi & Sanctorum in Thesaurò Ecclesiæ contenta; nam licet per contritionem & confessionem Sacerdoti factam deleatur culpa, remanet tamen quandoque temporalis pœna, ut patet in Davide 2. Reg. 12. quæ pœna per Indulgentias tollitur, dum summus Pontifex Successor Petri & Christi Vicarius, merita satisfactoria Christi & Sanctorum applicat in satisfactionem pro alienis peccatis; Hanc autem potestatem esse in Ecclesiâ Dei, ex 1. Corinth. 5. patet, ubi Apostolus excommunicavit Corinthium propter incestum commissum; dicit enim quòd tradiderit illum Sathanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini. Hæc Traditio Sathanæ facta non erat Damnatio Corinthii, quia nocebat tantum corpori, ut salvaretur Spiritus; nec erat mera Declaratio peccati ab hocce Corinthio patrati; nam Declaratio peccati jam præcesserat, dum illum commissi peccati arguerat; sed erat pœna tali peccato debita, & quidem pœna temporalis, quia si æterna fuisset, eum perpetuò condemnare debuisset. Hanc autem pœnam Apostolus Corinthio condonavit, & quidem ex gratiâ non præcedentibus ejus meritis; ait enim 2. Corinth. 2. sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio hæc, ut è contrariò magis donetis, ne absorbeatur abundantiori tristitiâ;

cui autem vos condonatis & ego condono. &c.
Sunt verba Pauli. Huic igitur Corinthio, illo
tempore quo Paulus secundam scripsit Epistolam,
peccatum jam erat remissum, quia contritus erat,
alias nec Paulus, nec Corinthii quidquam remitte-
re potuissent; & nihilominus peccato jam re-
misso Paulus incasturo huic Corynthio adhuc ali-
quid remisit, & quidem loco Christi, ut verba no-
tant sequentia; hoc autem nil aliud erat, quam pœ-
na temporalis, cujus Remissio in Ecclesiâ nomine
indulgentiarum venit.

TITULUS XXXIX.

De

Sententiâ Excommunicati- onis.

QUÆRES 1. Quid sint Censuræ? Respond.
Censuræ latius acceptæ significant quamcun-
que pœnam Ecclesiæ correctoriam, stricte
autem sumptæ sunt pœnæ spirituales & medicina-
les quibus Ecclesia ad corrigendos delinquentes uti
solet, & definiuntur, pœnæ spirituales & medi-
cinales, quibus potestas Ecclesiastica exterior fide-
les delinquentes & contumaces bonorum quorun-
dam spiritualium usu privat ad eorum correctio-
nem. Tales censuræ propriè dictæ sunt tres, vi-
delicet excommunicatio suspensio & interdictum.

QUÆRES 2. Quid sit Excommunicatio
& quotuplex? Respond. Excommunicatio quali

extra

extra communionem dicta, est censura à Canone vel iudice ecclesiastico lata & inflicta, privans legitimam Communionem Sacramentorum & quandoque hominum; dividitur 1. in *maiozem* & *minorem*. Excommunicatio minor privat tantum usum Sacramentorum maior autem non ab usu Sacramentorum tantum, sed & ab omni fidelium communiōne hominem separat, & anathema dicitur. *Can. ad mensam c. 11. quest. 3* Illa minor dicitur comparatione maioris, quod ob minorem & venialem quandoque Culpam incurratur, privetque minoribus bonis, & facilius tollatur quam altera, cum cuivis Sacerdoti, sive Parocho proprio concedatur, potestas absolvendi; ut vero incurratur Excommunicatio maior, requiritur *Primo* gravis culpa. *Secundo* ut peccatum non sit merè internum *can. cogitatio dist. 1. de Pœnit.* Quia censuræ spectant ad potestatem Ecclesiæ exteriorē, quæ ad actus merè internos soli Deo notos se non extendit. *Tertio* ut peccatum non sit prohibitum jure tantum naturali & divino, sed & Ecclesiastico, quia censura est pœna Inobedientiæ & Contumaciæ contra potestatem Ecclesiasticam admittæ, ut constat ex verbis Christi *Matth. 18.* Si Ecclesiam non audierit. *Quarto* ut non sit merè præteritum, seu omnino cessans, cum enim excommunicatio sit pœna medicinalis delictum debet perseverare, & cum contumaciâ præsentē esse conjunctum. *cap. 1. h. t. in 6.* *Quinto.* Ut delinquens sciverit, peccato tali excommunicationem esse annexam. *Sexto* ut peccatum non sit ex metu gravi commissum, cum talis pro contumace haberi nequeat.

Secundo dividitur in eam quæ est à Jure & eam
quæ

quæ est *ab Homine*. A Jure est, quæ per ipsos SS. Canones est infligta propter delictum futurum, & perpetuo durat, nec requirit monitionem Judicis cum ipse canon pro monitione habeatur. ab homine est, quæ infligitur, per sententiam Judicis, & non nisi monitione præviæ ferri potest. *cap. 48. h. t. U capit statimur & capitul constitutionem. h. t. in 6* quæ monitio necessario debet esse trina, nec sufficit una monitio pro tribus, nisi tria ponantur interstitia, sive termini.

Tertiò, in eam quæ est *sententiæ latae* & eam quæ est *sententiæ ferendæ*. Excommunicatio sententiæ latae ipso facto incurritur ante ullam judicis sententiam; non item ea quæ est *sententiæ ferendæ*.

Quartò, in *Justam & Injustam*; Injusta erit, si superior justam causam non habuerit, quæ in sententiâ exprimi, & ut antecedenter dixi, trina monitio præmitti debet. Ubi hoc insuper notandum, quod iudex sive superior ad excommunicationem procedere non debeat, nisi ubi alia media deficiunt contumaciam partium compescendi. *Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reform.*

QUÆRES 3. Quis sit Excommunicationis effectus? Respond. Effectus excommunicationis justæ est quòd excommunicati à communione fidelium sint segregati adeoque sub pœna excommunicationis minoris vitandi, si nominatim excommunicati, & tolerati non sunt, quales sunt hæretici in Germaniâ.

QUÆRES 4. Quid sit suspensio, & quod duplex? Respond. Suspensio propriè dicta est censura, qua Clericus ab usu sive exercitio ordinis sui

cap

sive beneficii, vel in totum vel ex parte tantum in perpetuum, vel ad tempus impeditur; ex qua definitione patet, non posse suspendi laicum, sed Clericum tantum, atque per suspensionem non auferri ordinem vel beneficium, sed tantum impediri exercitium. Suspendio alia fertur *ab homine* alia *à Jure*; alia *ipso facto* incurritur, alia *per sententiam Judicis* infligitur, alia *temporalis* est, cui certum tempus præfigitur, alia *perpetua*, quæ non adjecto certo tempore fertur, alia *totalis* est, dum quis ab ordine, officio, & beneficio suspenditur, alia *partialis*, quæ exercitio ordinis tantum, v. g. celebratione Missarum, suspensum privat, vel perceptionem fructuum denegat.

QUÆRES 5. Quid ad suspensionem validè ferendam requiratur? Respond. Ad suspensionem requiritur culpa & quidem ordinariè mortalis, cum enim sit pœna gravissima, ob levem culpam infligi non debet. Ferri debet in scriptis & quidem expressâ causâ, seu peccato, *cap. 1. h. t.* atque præviâ monitione canonicâ, si ob contumaciam feratur, non item si in pœnam.

QUÆRES 6. Quid sit interdictum & quotuplex? Respond. Interdictum est censura Ecclesiastica prohibens usum seu administrationem divinorum *cap. quod in te. de pœnit. & remiss.* aliud *personale* est, aliud *locale*, aliud *mixtum*. Locale est quod immediatè solum locum afficit, mediatè autem personas; ut dum Ecclesia interdicatur, quâ interdictâ nulli divina ibidem peragere licet. Personale est quod immediatè personas afficit, ut dum prohibentur celebrare vel audire divina. Mixtum est,

quo & persona & locus interdicitur. Differt à suspensione, quæ quidem privat usu quorundam divinorum, sed ut proprio alicujus potestatis Ecclesiasticæ. ab Excommunicatione autem quod illa privat usu Sacramentorum, quatenus est communicatio cum aliis fidelibus; interdium autem privat earum usu per se quatenus talis est independenter, à communicatione cum aliis fidelibus habendâ. hoc autem cum aliis censuris commune habet, quod si violatum fuerit, inducat irregularitatem; quæ est impedimentum Canonicum ex se & naturâ suâ primariò impediens susceptionem ordinum, & executionem susceptorum. quibus sic traditis, omissis duobus ultimis Titulis, qui propter diversissimas quas continent materias, & quod sint totius Juris compendium, succinctè tradi nequeunt, Jus Canonicum.

Eo adjuvante finio, quo auspicante
Cœpi DEO Trino &
Uno.

F I N I S.

